JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Purchased from the
Trust Fund of
Lathrop Colgate Harper
LITT. D.

John Carter Brown
Library

Acquired with
the assistance of the
Littauer • Judaica
Endowed
Book Fund

038615
FCCO
BARW e 9

M[illegible] 8[illegible]

Le Pince-[illegible] [illegible] la Peyrone était pour l'amour [illegible] -

Édition originale des [illegible], ouvrage de controverse dont l'auteur est Philippe Le Noir

I / V

830

Quérard I, 1266

ANIMADVERSIONES IN LIBRVM PRÆ-ADAMITARVM:

In quibus confutatur Nuperus ſcriptor, & primum omnium hominum fuiſſe Adamum defenditur.

Authore EVSEBIO ROMANO.

Ἐγένοντο δὲ καὶ ψευδοπροφῆται, ἐν τῷ λαῷ, ὡς καὶ ἐν ὑμῖν ἔσονται ψευδοδιδάσκαλοι, οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας.

2ª. Petri. 2°. v. 1.

PARISIIS,
Apud IOAN. BILLAINE, viâ Iacobeâ, ſub ſigno S. Auguſtini.

M. DC. LVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMO VIRO
NICOLAO FOVCQVET,
GALLICANI IMPERII ADMINISTRO,
ſupremo Ærarij Præfecto, Chriſtianiſſimi Regis Procuratori Catholico, Vicecomiti de Melun & de Vaux, &c.

NON *alijs profectò* (Vir Illuſtriſſime) *quam tuis auſpicijs prodire debuerunt hæ animaduerſiones, quas Euſebij Romani nomine fortuitò oblatas prælo committendas putauimus. Si enim Euſebio Romano eligendus fuit patronus, nullus ſane occurrit in cujus tutelam recipi magis illi fuerit op-*

tandum: Si iudex quærendus, æquiorem nullum aut ſagaciorem ſperare potuit. Vt enim ſummam ingenij vim taceam, & dotes quamplurimas quibus vndequaque inſtructus es & ornatus: in eo dignitatis gradu ampliſsimo conſtitutus emicas, in quo & regni & Eccleſiæ tranquillitati inuigilas, curamque omnem & ſollicitudinem adhibes, ne quid vtrumque capiat detrimenti, ſiue ex furtiuis facinoroſorum hominum technis, ſiue ex aperta librorum, nouorumq; dogmatum promulgatione. Opuſculum hoc in quo nuperi ſcriptoris ſomnia refutantur tuo nomini (Vir Illuſtriſſime) *conſecrare meas partes duxi, quo ſummum in regnum & Eccleſiam Romanam*

ſtudium teſtarer, meæque erga te obſeruantiæ teſtimonium aliquod ederem non intermoriturum.

AMPLITVDINIS TVÆ,

Obſeruantiſſimus cliens,
LVDOV. BILLAINE.

CENSVRA EPISCOPI Namurcenſis.

IOANNES DEI ET APOSTOLICÆ ſedis gratia Epiſcopus Namurcenſis, omnibus has viſuris, ſalutem in Domino.

ADueniſſe iam tempora, de quibus Apoſtolus 2. Timoth. 4. cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur, demonſtrat certus, qui recenter è prælo (impreſſore in cognito) prodijt liber anonymus, intitulatus de Præadamitis, cum i.a ſyſtematis Theologici ex Pręadamitarum hypotheſi in quinque libros digeſti, & certa adhortatione ad Synagogas Iudæorum vniuerſas. Author huius imprimis à veritate auditum auertit, dum infantes & adultos non niſi per imputationem peccauiſſe declarans ſe Caluinianum oſtendit: & per dictas litteras, vbi ſe optat vnum ex Iudæis, ſe Iudaiſmo affectum aſſerit. Ad fabulas autem conuertitur, dum contra vnanimen SS. Patrum conſenſum, homines ante Adamum ſpecie differentes conditos eſſe inducit: dilu-

uium non vniuerſale facit, ſed tantum in Paleſtina: Adami infantiam, & multa alia de eodem fabuloſa ſpargit. Quia vero idem Apoſtolus conſequenter Timotheum, & in eo omnes Epiſcopos monet vt vigilent, & in omnibus laborent, opus ſuum impleant; Nos, licet immeriti, in Epiſcopatu etiam conſtituti, Nobis id dictum exiſtimamus, ne & oues noſtræ per tales libros peruertantur, & ad nociuas fabulas inducantur, librum iſtum, vbi legimus & per alios viros graues legi & examinari curauimus prohibendum duximus, & prohibemus ſtrictiſſimè eum legi, retineri aut vendi, tanquam ſententias hæreticas, erroneas, temerarias, & pernicioſas continentem, Declarantes eum, aut eos, qui dictum librum, poſt notitiam huius noſtræ prohibitionis legere, retinere aut vendere præſumpſerint, in excommunicationem maiorem, iuxta inhibitiones Pontificias deſuper latas, incidere & incidiſſe. Ordinantes Promotori noſtro, vt ſuper authore, impreſſore & venditoribus ſeſe informet, vt informationibus viſis, ſtatuatur ex in parte, quod iuris erit. Datum Namurci die tertia anni 1656. ſub Sigillo noſtro, & Secretarij noſtri ſignatura.

De Mandato per Illuſtris ac Reuerendiſſ. Domini præfati H. DE ZVERENDONCQ, Secret.

MONITVM TE VOLVIMVS CANDIDE *Lector errores quamplurimos in hac editione irrepſiſſe, quos nobis pro tuâ humanitate benignè condonabis, ex quibus interim nonnullos inter legendum annotauimus.*

PAg. 2. linea 11. lege perſpectumque lin. 23. poſt eundem lege hanc. p. 6. lin. 2. l. inquit. p. 7. l. 30. l. niſi. p. 8. in tit l animaduerſiones lin. 30. l. *peccauerunt.* pag. 9. lin. 15. l. transferatur. p. 10. lin. 25. l. excellens. pag. 11. lin. 13. l. quamuis. lin. 21. l. Torunenſi Canonico Varmienſi p. 12. lin. 4. l Tædioſus, & lin. 13. l. cum. lin. 18. l. iniucundum. p. 13. l. 28 l. profanos. pag 15 lin 28 l. Gentilium. lin 30. l ſimiliora. pag. 16. lin. 1. l. concinnauit. pag. 18. poſt capitibus lege: pag. 21. lin. 25. antè deſideraremus l. non. pag. 24 lin. 31. dele, p 33. lin. 15. l. ita. p. 35. lin. 1. l quibus p. 41. lin. 18. l. balbutierit. p. 43. lin. 16. l. obtrectandi. pag. 46. poſt *pugnis* l. *dein.* p. 47 in extremâ parte columnæ l. 126. p. 51. lin. 18. l. libenter. pag 52. lin. 7. l. *filias.* p. 53 lin. 27. l. 16. & ibidem poſt *genus* l. *humanum*, & l. 31. l. *nec*, in eadem adhuc lin. l. *niſi.* p. 54. lin. 33. l. *Iudaicarum.* p. 72. l. 20. l. poſteriſque. p. 75. lin. 32. l Chryſ. pag. 78. lin. 31. l. authoritatem. p. 80. lin. 14. l diuinum Legiſlatorem Moſen. p. 83. lin. 23. l. in pro id. p. 86. lin 28. l. *alicuius.* p. 90. lin. 13. l. rerum. p 92. lin. 17. l. profanos, & lin. 27. l. teſtatur p 97. lin. 9. l. illas p. 98. lin. 4. l. curam, & lin. 5. l. Chaldæorum. p. 99. lin. 2. l. Quod. & lin. 17. l. Ægyptiorum. p. 101. lin. 16. l. primos.
in Præf. p. 6. lin. 10. l. authoritate, & lin. 13. eiuſve.

CHRISTIANO

ERVDITOQVE

LECTORI.

EVSEBIVS ROMANVS.

MIRVM tibi forſan videbitur, *Amice Lector*, Hominem Chriſtianũ adeò ſui obliuiſci, ſuæque Religionis adeo eſſe immemorem, vt ea publicare & de ijs apud homines imprudenter diſceptare non pertimeſcat, quę in paucorum tantum hominum manus venerunt, neque adhuc omnium ocu-

los inani fulgore perſtrinxerunt. Nos verò *Chriſtiane Lector*, has animaduerſiones eo animo euulgamus, vt omnes intelligant quam impia, quam abſurda, quam malè cohærentia, nuperus ſcriptor effutiat, & abſque vllo diſcrimine obtrudat. Integrum volumen id eſt meras ineptias & ſtupores confutare mihi non propoſui: non enim tantum mihi ſupereſt otij vt bonas horas in hocce ſtudio collocare non verear, ſcelus inexpiabile admiſiſſe me putarem, ſi aduerſus tot nugas ſtringerem calamos, ijſque magnifico verborum apparatu pondus adderemquę omnium riſus ſuique contemptum ſtatim ſibi conciliarent. Præcipuos nimirum eoſque grauiſſimos lapſus pro ſuſcepti operis breuitate mihi attingendos eſſe duxi. Quis

autem ſit iſte ſcriptor, ignoro; ſi quid tamen coniecturâ aſſequi poſſumus, facili negotio compertum eſſe poterit & exploratum, hominem picâ hibernâ eſſe loquaciorem in nugis coaceruandis, ſcripturæ & politioris litteraturæ imperitum, veræque (vt ita dicam) eruditionis expertem, qui famæ ſuæ hac induſtria conſultum putauit, ſi nomen reticeret. Quodnam verò ſit eius conſilium hocce libello apertum faciemus. Prodijſſe in lucem ſuperiori æſtate norunt omnes librum anonymum, furtiuo prælo apud Batauos excuſum, horribilem profectò & ſacrum librum! nænijs, erroribus, impoſturis, calumnijſq; adeo refertum, vt ſi rogatus librum maleuolente genio natum quærerem, infeliciorem nullum poſſem reperire. Quid

enim damnabilius ſceleratius-ve excogitari poteſt, quam Præ-Adamitarum nomine Eccleſiæ fundamenta conuellere, ſanctorum Patrum tot retrò ſæculis & oraculis comprobatam fidem eleuare, & quod impietatis cumulus accedit, diuina Moſis volumina, nefariâ ſugillatione in contemptum adducere? Quid autem in tanto errorum numero, ſtuporumque primum mirarer non adhuc conſtitit: In abnuendis quippe rebus vel certiſſimis & quæ oculorum penè ſenſu coarguuntur, in eo incredibilem profecto video audaciam, inſcitiam inſignem in ijs euertendis, de quibus apud Patres omnes conſtat, temeritatem ſingularem in ijs aſſerendis, quæ nulla ratione conſtare poſſunt, intolerabilem denique impietatem in ijs oppu-

gnandis, quæ vel apud Ethnicos de Religione Chriſtianâ in confeſſo habentur. Operæ-pretium equidem eximiumque quoddam ingenij ſpecimen in hoc libro mihi fingebam, vtpote quem non primus ingenij impetus effuderat, ſed qui vltimam receperat manum, quem cura cum acumine ingenij limatiorem reddiderat, ars & induſtria perpolitum & amuſſitatum ediderant, quem moræ maturitas excuderat, in quo denique nihil elegantiarum deſideraretur. Verum deluſit me ſpes quâ ſuſtentabar, & de tanta expectatione decidi: cum enim triginta annorum ſpatium in eo fœtu efformando collatum eſse ſcirem, quamuis toto eo tempore corrigere & emendare partus deformitatem parens potuerit, adeo tamen horridus & deformis

mihi viſus eſt, vt in fœdiſſimum monſtrum tot annorum ſpatio coaluiſse meritò crediderim. Elephantino ſcilicet partui infeſta parumque propitia diu extiterat Lucina, lucemque ne conſpiceret, conſultò inuiderat. Effrænatam hominis audaciam amici pro ſuâ in eum beneuolentiâ compeſcere, magnates pro ſua authorite ſupercilium retundere decreuerant, ſed neſcio quis mali ominis genius hominem dementauit, eiuſque mentem velut peſtilenti quodam ſydere afflauit, ſuaſitque promulgaretur monſtrum illud, quo poſt homines natos nullum prodijt exſecrabilius. Diu nempe rabioſum ſilentium furoremque diſſimulauerat tenebrio, & ab emittendo immani fœtu mentem habere alienam teſtatus fuerat; Non certè

quod nollet, ſed quod deeſſet occaſio, quâ arreptâ publicæ inſaniæ morbus erumperet, & quaſi diſruptâ nube inani brutoque fulmine detonaret, Chriſtianum animum non modo eiuraret, ſed & humanitatem omnem exuere videretur. Commodum nempè inter laborantis Eccleſiæ anguſtias hoc quaſi ictu poſſe religionem transfodere ſibi perſuaſit, ſuamque impunè prodere ſæuientis animi rabiem. Hinc ad Orientem afflictas Chriſtianorum partes intuetur: Inde recentes ad occidentem tragœdias luctuoſamque Eccleſiæ faciem; florentiſſimũ quondam regnum barbarorũ incurſionibus & direptione magno Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ detrimento infeſtatum, orbem denique vniuerſum atrociſſimis bellis

vbique ſæuientibus ardentem, de religione actum ratus, graſſari, virus euomere, religionem apertâ vi oppetere fas eſſe impunè putauit. Sed plumbeos illa pugiones non veretur, armaque tam pingui iudicio fabricata non reformidat. Ea eſt enim Religionis Chriſtianæ virtus eximia ac decus ſingulare, vt poſt fractos ſæuiſſimorum tyrannorum furores, calcatam Regum & Imperatorum rabiem, triumphatos toties hæreticos, crebris pugnis attritos & ad incitas redactos hoſtes infenſiſſimos, ſibi non amplius timendum eſſe ducat. Quam enim non ſæuientium temporum iniuriæ, non frequentes teterrimorum bellorum tempeſtates, non inſidioſæ maleuolorum hominum artes lædere potuerunt, quæ homuncionis temeri-

tas eam poterit tantiſper labefa-
ctare? Mirari interim ſubit otioſi
hominis ἀλλόκοτον φαντασίαν & ve-
lut pumilionem immodico co-
thurno elatum ſuâ ſe ſtaturâ inge-
nijq; mediocritate metiri neſcium
ad hoc ſcribendi genus animum
appuliſſe, ad quod nec à natura fa-
ctus, nec vſu aut arte vllomodo
inſtructus videbatur, qui ſi quid
gratiæ aut fauoris ſperare potuit,
in ſuâ tantum nouitate cuius ma-
gna noſtris hominibus iniecta cu-
piditas eſt, ſitum confidentiſſimè
putauit. Nam vt ait Poëtarum
Princeps Homerus.

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέλητα.

Cantilenam enim magis celebrant homines
Quæ auditoribus noua contigit.

Sed vendibilis non eſt iſthæc enormis nugacitas in eo regno, cuius ea laus eſt non mediocris, quod in eo monſtra non alantur, Imperante præſertim LVDOVICO THEODOSIO cuius generoſa & verè regia indoles, candidi mores & amabiles, Chriſtianæque ſine fuco pietatis amor, diuini numinis opem populorumq; omnium pronas in ſe mentes conuertit, qui & auorum regum virtutem, & præclarè geſtis rebus laudis bellicæ gloriam adæquare non modò ſed & longè ſuperare pollicetur. Cuius inuictam fortitudinem, & ſcientiæ militaris in hac licet tenerâ ætate experientiam, nuper ipſi hoſtes magno ſui damno obſtupuerunt: aquo denique nihil niſi regium & magnificum Religioni Chriſtianæ fauſtiſſimum, & Impe-

rio Gallicano fortunatiſſimũ ſperandũ eſt, eo potiſſimum tempore quo ſagaciſſimis conſilijs ſuſtentatur & prudentiâ Eminentiſſimi Cardinalis Gallici Athlantis, cuius ſingularis virtus ac dotes eximiæ Galliam non modo & Europam, ſed & orbem vniuerſum quâquâ patet ſui famâ concuſſerunt. Atq; etiam vti ad nos nuper delatũ eſt; Tellus iam ipſa quæ infœlici partu fœtum hunc edidit, ad hoc monſtri genus obſtupeſcens, & quaſi ſceleris ſibi conſcia prudenter ſtatim ſuffocare decreuit; fœderati quippe vt accepimus Belgarum ordines ſolemni decreto è ſuâ republicâ proſcriptum voluerunt, veriti ne ſi tandem adoleſceret, magnam latè perniciem, ſibi primùm ac cæteris deinde inferret. Si quis autem paulò curioſior à me

ſciſcitetur, cur in arenam deſcendere & cum laruis & vmbris dimicare non dubitauerim, in tanta præſertim diſceptatione, exercitato cũ hoſte, & aduerſario vicẽnali ludo ſuâmet confeſſione exeũte. Fateor ingenuè, neq; ſine lachrymis queo dicere, ad tam immane ſcelus vix memet continui, vix mihi temperaui. Eò nempè redire vt de Religione infinitis Chriſti miraculis conſtitutâ, tot eruditorum hominum diſceptationibus & teſtimonijs comprobatâ, tot martyrum cruore ſtabilitâ, in tantâ rerum omnium luce ſit iterum diſceptandum. Has igitur animaduerſiones *Chriſtiane Lector*, qualeſcunq; ſint doloris mei teſtes extorſit inſolens facinus, & pluſquam Thraſonica audacia, quâ impudenter ea comminiſcitur, quę à nullo Chriſtiano-

rum dici queunt, niſi cui inſanus furor frontem omnem cerebrumque exhauſerit, quique vltrò ſibi infamiam irrogauerit. Etſi verò nullus hactenus extiterit ſcriptor, cui reſpondere minus interſit, ſimplicibus tamen cauendum nemo non exiſtimat, ne ab hoc imperitorum hominum genere imponi in poſterum ſibi patiantur: atque vt etiam diſcant omnes quam melius actum foret & ſecurius patrono Præ-Adamitarum ſi hoc vlcus non tetigiſſet, & ab hac ſcabie vngues continuiſſet. Vitandas non ignoro legis pugnas monet Apoſtolus ad Tit. 3. verſ. 9. inaneſque contentiones, ſed quis eorum qui ingenuis delectantur artibus, religioniſque Chriſtianæ ſinu fouentur, pugnam detrectaret ad has illecebras, in eo controuerſiarum

genere, in quo puriſſimus vnicæ Religionis ſplendor calcatur, ſanctorum Patrum interpretationes impudentiſſimè deſpiciuntur, & vt ait Arnobius lib. 1. contra gentes. *Sacrorum quondam veterrimi ritus religionum nouarum ſuperſtitionibus occiderunt.* Ea eſt autem nouatorum huiuſmodi hominum audacia, vt perfrictę licet frontis chriſtiani tamen & orthodoxi haberi velint, quod in Celſo reprehendit Origenes Philoc. 18. Cũ enim inſito quodam à naturâ animi robore ingenitâque excandeſcentia ad tam horrenda primum obſtupeſcere homines non dubitent, niſi aut verborum lenocinio ſententiarum-ve emendicato nitore (quod tamen patronicliens Præ-Adamitarum non præſtitit) aut fucatæ pietatis oſtentatione auribus inſi-

dias fecerint, animos allicere, atq; in errorem poſſe inducere deſperant. Enimuerò quid aliud eis in ore eſt præter pietatis nomen, virtutem extollunt, vitia deprimunt, bonos mores ad cœlum vſq; euehunt, improbos damnant, aduerſus impios declamant, plurimoſque etiam ἀθεότητος ſæpè inſimulant. Hæc nempè in fronte geſtant, licet in receſſu venenum & meram perniciem recondant: hæ ſunt ſtrophæ, hæ præſtigiæ quibus incautis mentibus illudere conſueuerunt, vt facilius deinceps ſerpat venenum, & ſuum virus callidius inſtillent. *Quibus vtique* inquit, S. Auguſtinus lib. 1. ad Bonifac. contra duas Epiſt. Pelagianor. *eſſet reſpondendum, ne ſe vel ſuos in illo nefando errore firmarent, etiamſi non metueremus ne quemquam Catholico-*

rum veriſimili ſermone deciperent. Egregium verò quoddam videbatur Præ-Adamitarum patrono inficetum illud opus, vt laborem vicennalem illum trium verſuum, cap. 5. Epiſt. ad Rom. *quos mente & manibus verſare ſe abhinc viginti annis* confitetur, publici iuris faceret, orbemque vniuerſum tot ineptiarum haberet cenſorem, qui vnanimi conſenſu ad agnatos deducendum pronuntiaret. Meritò ſanè ei quieſcendum eſt, & ſumenda helleborus, poſt tantum laboris exantlatum, ei tamen author ſum, vt ab eiuſmodi ſtudijs deinceps abſtineat, in quibus ſemel eruditionis & famæ (ſi quam olim apud ſuos habuit) naufragium fecit. Nihil autem toto illo opere verius præfatus eſt, quam dum *inconditum & malè dolatum*

latum opus appellauit, nemo enim homo eſt adeo hebes & obtuſo quantumuis ingenio qui hiſce tribus verſibus trihorio ſenſum non attulerit luculentiorem, adeò enim infœliciter ſucceſſiſſe in tanto temporis ſpatio mihi videtur vt quidquid ſordidius impuriuſ-ve effingi vnquam potuit, in illud malè natum opus abundè confluxerit. Abhinc triginta annis errare ſe fatetur, ſed meo iudicio nunquam turpius errauit, quam dum infauſtis auibus opus illud cimmerijs damnandum tenebris lucem vt aſpiceret enixè contendit. Deus bone quantum ſcuticarum præfationem vnam legenti, in quâ vniuerſas Iudæorum Synagogas alloquens proh pudor! eorum gregi adſcribi vltrò ambiuit, & quaſi apud eos ſe ſe recipere

vellet, hemiſtichium illud Virgilianum attexuit.

Atque vtinam ex vobis vnus.

Si Chriſtianus eſt quomodo Iudęus? Sed id non ſine causâ factum putamus: cum enim nullum Chriſtianorum adeo prauè de ſuâ religione ſentientem expertus ſit, vt nomen ſuum æquo animo tulerit tantæ impietati præfigi ad Iudæos ſtatim ſibi confugiendum credidit, & à nugiuendulis hominibus nugarum ſuarũ patrocinium expetẽdum, ſed quo pacto hæc poſſunt cohærere? Verſus adducit Pſalmi 126. ex Paraphraſi Georgij Buchanani quam in ſuâ Epiſtolâ vocat exquiſitiſſimam: Errat profectò & tota errat viâ, Paraphraſis enim eſt erudita ſi velit ſed hæretica. Qui verò Poëtas adeo ſectatur, id eo mihi videtur animo præſtare,

vt quidquid impium & inſolens legerit hoc ipſum ſtatim Religioni aut myſterijs tribuat. Religionem enim nullâ magis verborum ſpurcitie dedecoratam putauit quam ſi ea impudentiſſimè ipſi tribueret quæ Veneri ſuæ Æneas apud Virgilium affingit Æneid. 2.

Qualiſque videri
Cœlicolis & quanta ſolet.

Vt autem colophonem adderet tam inſulſæ Iudaicæque Epiſtolæ erraticam vitam ſibi cum Iudæis communem eſſe adulatoriè dixit, ideoque mortem ſimillimam ſibi expectandam gratulatur, verum ſciat dictum à Principe Poëtâ

κακὸς δ' αἰδοῖος ἀλήτης.

Malus verò turpis erro.

ELENCHVS
CAPITVM.

I. VIcennalis exercitatio Præ-Adamitarum diſpungitur, trium verſuum 12. 13. & 14. cap. 5. Epiſt. ad Rom. germanus ſenſus è Patribus eruitur B. Paulus defenditur. pag. 1.

II. Adamum primum hominum fuiſſe euincitur, Geneſis illuſtratur ſcriptoris proteruia & temeritas exploduntur. pag. 14.

III. Mors Adami: eiuſque conditio & ſtatus in Paradiſo examinantur, atque ex concilijs & Patribus adſtruuntur. pag. 25.

IV. Iudæorum elogia perſtringuntur, quinam fuerint filij Dei & filij

hominum inquiritur, Geneſeos locus explicatur. pag. 37.

V. Caini genus recenſetur, vita & matrimonium explicantur, vrbis Enochiæ extructio, cæteraque nonnulla deteguntur. pag. 43.

VI. Veritas Euangelij de obſcuritate Solis moriente Chriſto Domino aſſeritur, & cætera miracula ab impijſſimis conatibus vindicantur. pag. 55.

VII. Diluuij Noacici hiſtoria recenſetur, Geneſis textus excutitur, heſterna deliria refelluntur. pag. 55.

VIII. Moſis authoritas & antiquitas commendantur genuinumque ipſius fœtum eſſe Pentateuchum oſtenditur. pag. 77.

IX. Artium & ſcientiarum quarundam initia ex ethnicis profaniſque ſcriptoribus diſquiruntur, at-

que è Patribus rei veritas aſſeritur. pag. 89.

X. Imperiorum quorundam antiquitas diſcutitur, hominum propagatio poſt diluuium oſtenditur, nonnullorum fictitia vetuſtas reijcitur. pag. 98.

ANIMADVERSIONES IN LIBRVM PRÆADAMITARVM SEV REFVTATIO FABVLÆ Præ-adamiticæ.

CAPVT PRIMVM.

Vicennalis exercitatio Præ-adamitarum diſpungitur, trium verſuum 12. 13. & 14. cap. 5. Epiſt. ad Rom. germanus ſenſus è patribus eruitur, B. Paulus defenditur.

QVINTVM Fabium Maximum ſummum virum, & ſubactæ prudentiæ ſenem, ſapienter dicere ſolitum accepimus, Optimis auſpicijs ea geri quæ pro Reipublicæ ſalute gererentur: Quæ contra Rempublicam *Tull. in Cat. mai.*

ferrentur, contra auſpicia ferri. Nos eadem de Eccleſia indubitanter aſſerimus, quæ de ſua Republica non ſine iactantia Ethnicus proferre audebat. Quæ enim in Eccleſię defenſionem geruntur, fauſtis fortunatiſque auſpicijs ea omnia geruntur, quæ contra eandem feruntur, temerè & in fauſtis ominibus ferri arbitramur: Idque teſte omni hiſtoriâ, ex hęreticorum omnium fœdâ colluuie, perabſurdis delirijs, caſibuſque notiſſimis certum perſpecſtumque putamus. Quotquot enim hactenus extiterunt ἑτεροδόξων hominum commenta, aut ſuo authori funeſto caſu conſepulta ſunt, aut breui tandem Eccleſiæ decretis profligata euanuerunt. Si quæ è ſuis cineribus nondum benè ſopitæ reliquiæ emerſerunt, quod vt varijs temporibus hominum peruicaciâ factum; ita etiamnum vehementer dolemus, in vagos pulueres abituras ſperamus, quæ rupes mentiebantur. Quæ verò proh ſæculi noſtri dedecus! in Galliâ nata olim Præadamitarum fabula, nuper Erupit in Belgium nęnijs nugiſque anilibus tantum ſuffulta, eundem exitum habituram certò confidimus. Tellus quippe ipſamet quæ partum hunc elephantinum in lucem protulit, tanto horrori ferendo imparem ſe fatetur, & ſuis finibus procul cenſet amouendum. Neque (quod ad Eccleſiæ ſplendorem plurimum facit) deſunt hodie benè multi athletæ, & ſtrenui pugiles, qui telis ineuitabilibus, hoc eſt, armis è S. patribus, & maximè Auguſtino depromptis,

monſtrum illud debellare, matrique ſuppetias ire non recuſent.

Sed ne inani verborum ſententiarum-ve ſtrepitu tempus atteramus, nos vno hocce capite vicennem exercitationem euerſuros pollicemur. Quod totius fabulæ fundamentum eſt, vt ipſe fatetur exercitator, quo diruto, vniuerſam ædificij ſtructuram collabi neceſſe eſt. Cum enim hoſce tres verſus capitis quinti epiſt. ad Romanos, ſuo more, id eſt perfunctoriè legeret. 12. *Propterea ſicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: ita etiam in omnes homines, mors pertranſijt: in quo omnes peccauerunt* 13. *Vſque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur cum lex non eſſet* 14. *Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri.* Ex abſurdâ illâ quam de Præ-adamitis conceperat ideâ rem acu tetigiſſe, aut confectum negotium ratus, extitiſſe homines ante Adamum, peccata etiam, præfractè quidem aſſerere non amplius dubitauit. Nos veró ad hoc vltimum, nihil aliud in præſentiâ regerimus, quam ea quæ habet S. Hieronymus (aut ſi quis alius aut hor) in commentario in hunc locum apoſtoli. *Inſaniunt*, inquit, *qui dicunt antequam deceperit diabolus Euam peccatum fuiſſe in mundo.* Hos verſus cenſet intelligendos de peccato, Originis, quod non diffitemur, ſed mirum quam inepté immo propemodum impié hal-

lucinatur, peccatum quippe Adami per quandam ſimilitudinem ſeu imitationem imputari aſſerit, ſed quo pacto concipiatur illa ſimilitudo, ipſemet ignorat, cum enim id à ſe ipſo quærit cap. 21. ſuæ exercitationis pag. 42. huic quæſtioni per alias ſatisfacere ſibi proponit. *Quæro è contra*, inquit, *Quomodo per tranſgreſſionem illam Adami, per peccatum illud originale, cenſetur & cogitatur, natura omnis corrupta, & labefactata omnis creatio. Quomodo cenſetur & cogitatur peccauiſſe, non dicam infantes, ſed neque dum etiam nati homines in peccato Adami?* Patientiæ ſanè lectorum, & chartis illudit, & litteris exercitator, vt ſua veteris ægroti ſomnia de ſimilitudine explicet, ſed meâ quidem ſententiâ, quid ſit peccare in ſimilitudinem præuaricationis Adam aſſecutus minimè videtur. Quod duobus modis explicat Auguſtinus, vel enim intelligendum eſt mortem dominatum exercuiſſe, non tantum in eos qui propria voluntate peccantes primo parenti Adam, qui ſua voluntate Dei præceptum trangreſſus eſt, ſimiles facti; ſed etiam in infantes, qui nullo voluntatis ſuæ actu peccauerunt, ſed tantum peccatum ex Adam naſcendo contraxerunt. Quo ſenſu exponit hunc locum S. Hieronymus, lib. 3. dial. contra Pelagianos. Vel intelligendum eſt regnaſſe mortem, etiam antè legem latam, ac proinde in eos etiam qui nullam ſibi à Deo ſancitam legem infregerunt, ſicut Adam fecerat, ſed tantum contra legem naturæ peccauerunt. Quæ expoſitio Græcorum quorumdam patrum eſt.

Sed antequam vlterius progrediamur, non abs re fuerit epiſtolæ conſilium, & finem, atque exinde horum verſuum genuinum ſenſum apponere. B. Apoſtolus qui nondum Romam venerat, Iudæis quibuſdam Romæ commorantibus, deque ſuo genere gloriantibus, ſcribit, eam enim ob cauſam cum Gentilibus aſſiduis iurgijs certabant. Quibus auditis Paulus, non ſine graui mœrore, vt hiſce contentionibus finem imponeret, miſit hanc epiſtolam, in quâ primum de bonis initijs gratulatur, tum Iudæos & Gentiles peccatorum remiſſionem non ex ſuo genere conſecuturos, ſed ex Dei gratiâ demonſtrat. Vbi veró pauliſper progreſſus eſt, mentem ſuam, peccatique transfuſionem dilucidè explicat, quaſi diceret, Quemadmodum per primum hominem Adam peccatum & cum eo mors in mundum ſubintrauit: ita per hominem vnum iuſtificatio in omnes homines qui in eo peccauerant, peruaſit. Non enim peccatum ſimul cum lege in mundum admiſſum eſt, illud quippe regnabat ab Adam vſque ad Moſen, ſed ignorabatur eſſe peccatum, quouſque lex manifeſtum iſtud faceret. Immo etiam in eos regnauit, qui non proprijs criminibus Deum offenderant, vt Adam, qui velut Typus erat noui Adam ſeu Chriſti qui ſua voluntate Dei præceptum violauerat. In errore verò ſtupidiſſimo Iuliani verſatur exercitator, dum putat Adami peccatum imputari tantum per ſimilitudinem ſeu imitationem. At ſtatim occurrit S. Auguſti-

nus lib. 1. de peccat. meritis & remiſs. *Nam*, inquit, *ſi ſola imitatio facit peccatores per Adam, cur non etiam per Christum; ſola imitatio iuſtos facit? ſicut enim per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, ſic & per vnius iuſtificationem, in omnes homines ad iuſtificationem vitæ.* Peccatum ſanè erat antè legem, ſeu Moſen, ſed non imputabatur, hoc enim, vt interpretatur Auguſtinus, ignorabatur eſſe peccatum. Certum eſt antè legem peccaſſe Iudæos, idolis ſeruientes, quod ex Ezech. 23. 39. & Ioſue 24. 20. conſtat, ſed multatos & notiſſima aliqua plaga affectos non legitur, eam ob cauſam. Verùm ſi quidpiam negotij faceſſant illa B. Pauli verba, *in ſimilitudinem præuaricationis Adæ* S. Auguſtinus totum illud auertet lib. 3. ad Bonif. cap. 6. *Quod ſubobſcurè*, inquit, *ab Apoſtolo dictum, duobus modis ſoluitur, ſiue quia rerum ſimilitudines, ſolent earum rerum nominibus nuncupari, quarum ſimiles ſunt, vt ipſam ſimilitudinem carnis peccati, voluiſſe intelligatur Apoſtolus appellare peccatum. Siue quia ſacrificia pro peccatis, peccata appellabantur in lege, quæ omnia figuræ fuerunt carnis Chriſti, quod eſt verum & vnicum ſacrificium pro peccatis, non ſolum his quæ vniuerſa in baptiſmate diluuntur; verum etiam his quæ poſt ex huius vitæ infirmitate ſurrepunt, propter quæ quotidiè vniuerſa ad Deum clamat eccleſia: Dimitte nobis debita noſtra &c.* Quod fuſè deinde probat ex ipſomet Chriſto, qui peccatum dicitur, eo quod ſacrificium fuerit pro peccatis noſtris, verſui verò 14. lu-

cem affert lib. I. de peccatorum merit. & remiſſ. cap. II. his verbis. *Sed regnauit Mors ab Adam vſque ad Moyſen, id eſt, à primo homine, vſque ad ipſam etiam legem, quæ diuinitus promulgata, quia nec ipſa potuit regnum mortis auferre. Regnum enim mortis vult intelligi, quando ita dominatur in hominibus reatus peccati, vt eos ad vitam æternam, quæ vera vita eſt, venire non ſinat, ſed ad ſecundam etiam quæ pœnaliter æterna eſt, mortem trahat. Hoc regnum mortis, ſola in quolibet homine, gratia deſtruit ſaluatoris, quæ operata eſt etiam in antiquis ſanctis, quicunque antequam in carne Chriſtus veniret, ad eius tamen adiuuantem gratiam, non ad legis litteram, quæ iubere tantum, non adiuuare poterat pertinebant.* Et paulò poſt. *Ergo in omnibus regnauit mors ab Adam, vſque ad Moyſen, qui Chriſti gratia non adiuti ſunt, vt in eis regnum mortis deſtrueretur. Ergo & in eis, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ: id eſt qui nondum ſuâ & propriâ voluntate, ſicut ille peccauerunt; ſed ab illo peccatum originale traxerunt, qui eſt forma futuri: quia in illo conſtituta eſt forma condemnationis futuris poſteris, qui eius propagine crearentur, vt ex vno omnes in condemnationem naſcerentur, ex quâ non liberat niſi gratia Saluatoris.* Totus eſt ſcilicet Auguſtinus, vt probet contra Pelagianos, hunc locum non aliam interpretationem admittere, quam de ingreſſu peccati per propagationem, nec niſi abſurdè, de imitatione ſeu ſimilitudine poſſe accipi, idque euincit, ex eo quod grauiſſimi

extiterint peccatores qui de peccato Adami, nihil audierunt, & qui proinde licet peccando ei ſimiles facti ſint, non tamen ab eo peccandi acceperunt exemplum.

Qui verò adeò acriter torquetur, vt originalis peccati labem contractumque intelligat, poterat ſaltem qui ſyſtemata Theologica ridiculè exponit, didiciſſe apud patres omnes, illam peccati peruaſionem, & exinde, mortis neceſſitatem. Ea de re vnum hic Theodoretum adducimus, ad verſum 12. cap. 5. epiſt. ad Rom. pag. 41. edit. Sirmondi. οὗτος ἐξαπατηθεὶς παρέβη τὴν ἐντολήν, τῆς δὲ τιμωρείας τὴν ἀπειλὴν νομοθέτης τῇ ἐντολῇ συνέζευξεν ἐξ ἀρχῆς, ὑπὸ τὸν ὅρον οὖν τοῦ θανάτου γενόμενος, οὕτω τὸν Κάϊν καὶ τὸν Σὴθ, καὶ τοὺς ἄλλους ἐγέννησεν. ἅπαντες οὖν ὡς ἐκ τούτου φύντες θνητὴν εἶχον τὴν φύσιν. Id eſt, *Ipſe deceptus præceptum tranſgreſſus eſt, legiſlator verò, punitionis minas præcepto ſubiunxit ab initio, ipſe igitur ſub mortis decreto conſtitutus, ſic Cain, & Seth, alioſque genuit. Quam obrem ex ipſo nati omnes mortalem naturam nacti ſunt.* Nec multò poſteà. λέγει τοίνυν ὁ θεῖος ἀπόστολος, ὅτι τοῦ ἀδὰμ ἡμαρτηκότος, καὶ θνητοῦ διὰ τὴν ἁμαρτίαν γεγενημένου, ἐχώρησεν εἰς τὸ γένος ἀμφότερα, εἰς πάντας γὰρ ἀνθρώποις διῆλθεν ὁ θάνατος, ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον. *Dicit igitur diuinus Apoſtolus quod Adamo peccante, & mortali ex peccato facto, vtrumque in prolem dimanauit, in omnes enim homines pertranſijt mors, in quo omnes peccauerunt.*

De lege latâ Adamo plurima inconſtanter effundit, ſed quod audacter nimium preſtat, nullo

nullo idoneo authore ſuas fabulas communit, quæ profecto vanæ ſunt adeo & deploratæ vt ex ſe ſe corruant. Cùm enim ſcriptura legis iſtius modi mentionem nullam faciat, quis eam admittat? cum verò Moſaicam nominat hoc in negotio, quis ſanus reijciat? Dicit autem Apoſtolus, *Regnauit mors ab Adam vſque ad Moſen*, an id de aliâ lege; quam de Moſaica accipiendum quiſquam putet? ſed vt verbo dicam, tales prophetas non recepimus, αὐ συ-προσωπασίας. Atque vt in ijs quæ ab eccleſiâ recepta ſunt, ne leuiter quidem hæſitandum putamus, ita magnoperè cauendum, ne ad talium fabularum patrocinium ſpecioſum eccleſiæ nomen, & orthodoxi transferetur.

Quod autem lex iſta non alia ſit à lege Moſis apud patres præſertim latinos conſtantiſſimum eſt, id etiam de lege naturali interpretantibus nonnullis. Cùm vero ſcriptura legem nominat nihil addendo ſeu ἁπλῶς Moſis lex intelligitur.

Theodoretus ad verſ. 14. cap. 5. pag. 43. tomo 3. μωσέα τὸν νόμον καλεῖ, τοῦτο δὲ καὶ ἐν τοῖς εὐαγγελίοις εὑρίσκομεν, ἔχουσι μωσέα καὶ τοὺς προφήτας. *Moſen legem nominat, iſtud verò & in Euangelio legitur, Moſen habent & prophetas.*

S. Thomas lect. 4. in cap. 5. ad Rom. ait ex Ambroſio iſtud intelligi de lege Moſis & peccato actuali, quod quidem antè legem Moſis puniebatur, homines quippe peccabant, ideoque puniebantur, ſed peccata non imputabantur quaſi à Deo punienda.

S. Ambroſij verba hæc ſunt in verſ. 14. cap. 5. *Quoniam non imputabatur peccatum, antequam lex daretur per Moſen, ſicut dixi, ipſa vſurpationis impunitate regnabat mors, ſciens ſibi illos deuotos, regnabat ergo mors, ſecuritate dominationis ſuæ, tam in eos qui ad tempus euadebant, quam in illos, qui etiam hic pœnas dabant, pro malis ſuis operibus. Omnes enim ſuos eſſe videbat, quia, qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.*

Vlterius proceſſit Theodoretus in verſ. 13. οὐχ ὥς τινες ὑπέλαβον τῶν πρὸ τοῦ νόμου κατηγορεῖ ἀλλὰ πάντων ὁμοῦ, τὸ γὰρ ἄχρι νόμου οὐχ ἕως τῆς ἀρχῆς τοῦ νόμου λέγει, ἀλλ᾽ ἕως τοῦ τέλοις τοῦ νόμου ἀντὶ τοῦ ἕως ὁ νόμος ἐκράτει, εἶχεν καὶ ἁμαρτία τὸ κράτος, νόμου γὰρ μὴ ὄντος, οὐχ οἷόν τε γενέσθαι παράβασιν *Non vt quidam putauerunt, de ijs accuſat quæ legem præceſſerant, ſed de omnibus ſimul illud enim* vſque ad legem *non dicit, vſque ad initium legis, ſed vſque ad finem,* pro *donec lex viguit, peccatum regnauit, cum enim non eſſet lex, fieri non poteſt, vt fuerit tranſgreſſio.*

Sequitur merum ἀλαζόνευμα exercitatoris, qui toto capite ſexto, atque etiam ſeptimo, vult haberi excellens Geometra, nihil præter ſimilitudinem & proportionem crepat. Sed qua ratione ſe ignorare fatetur, quid per ſimilitudines intelligat, de proportionibus eadem fateatur libenter neceſſe eſt. Excurrit ſæpiſſimè in artes liberales, & ſeueriores ſcientias, ſed ſanè parum fœliciter, hic enim ſtatim in limine offendit, neque magis Geometram, quam alibi Theologum ſe præſtitit, *ſimiles figuras,* ait,

definiri quæ circum angulos æquales, latera habent proportionalia. Ab aliquo forſan neſcio quid ſimile audiuit ex Euclide, ſed non benè meminit, voluit certè dicere, ſimiles figuras rectilineas, &c. quæ eſt def. prima 6. ὅμοια δὲ σχήματα εὐθύγραμμά ἐστιν ὅσα τε γωνίας ἴσας ἔχει, κατὰ μίαν, καὶ τὰς περὶ τὰς ἴσας γωνίας πλευρὰς ἀνάλογον. *Similes figuræ rectilineæ ſunt quæ circa angulos æquales, habent latera lateribus proportionalia.* Quæ vel tirunculos non latent.

Parum tamen eſſet in Geometriæ finibus naufragium feciſſe, niſi etiam ad Aſtronomiam allideret, & quomuis parum certos greſſus figat, ſupra tamen caput oculos attollit, Is cap. 8. pag. 18 ait, *idem enim fore concepi fatum poſitionis huius apud Theologos, quale eſt celeberrimæ quæſtionis, de motu terræ apud Aſtronomos.* Excutiendum nobis non eſt vtrum hypotheſis illa vera ſit nec-ne. Excogitatum fuiſſe ſyſtema illud à Nicolao Copernico Canonico Torunenſi, viro in primis erudito, norunt omnes, quo facilius orbium cœleſtium motus, apparentias, & viciſſitudines obſeruaret, atque de poſteris omnibus benè mereretur. Quod ſanè nobiliſſimum opus eſt, magno viro, & Phyſico-mathematico non indignum. Verum longè alia eſt ratio ſyſtematis quod Theologicum vocat exercitator, non enim celebris ille mathematicus *& famâ ſuper æthera notus*, id ſibi arrogauit, vt quidpiam à ſuo cerebro confictum expromeret, verum ſyſtemata, & doctrinam ab alijs

aſſertam expoſuit, in recenti verò ſyſtemate vnius nouitatis nomine delectatur; intra religionis limites ſe ſe continuit Copernicus, Tædoſus verò exercitator, eccleſiæ decreta conuellit, & ſanctos interpretes temerè aſpernatur.

Affinis ſtupor eſt eodem cap. 8. in quo ex ſuâ hypotheſi Scripturam ſacram, cum Chaldæis, Ægyptijs, Scythis, Sinenſibus, & Mexicanis conciliare facillimum fore perſuadet. Quaſi verò Chriſtiana religio ſtare non poſſet, niſi cum barbarorum hominum periodis, delirijſue conueniret, aut eum poëtis, & ethnicis conſentiret, id tamen vſque ad tædium occinit, quaſi quoddam non leuis ponderis argumentum.

Sed inter tot nugas & deliramenta pergratum illud eſt nec iniucundum, authores omnes & interpretes paſſim traducit, & cenſorio iure annotat, quod veluti cæcucientes, veram Apoſtoli mentem aſſequi non potuerint, neque tres eos verſus fœliciter elucidauerint. *Neque vero* inquit, cap. 8. pag. 16. *mirum prorſus mihi videtur, quod interpretes verſus illos apoſtoli tractantes, fœliciter minus elucidauerint.* Quis adeo ſtoicus, aut contractâ fronte, hominem non rideat, adeò inſulsè interpretes omnes quotquot extiterunt, inſcitiæ & oſcitantiæ inſimulantem? Plurimum ſanè illi debent qui noſtris temporibus interpretandis ſcripturis dant operam, ſi quidquam obſcurum aut difficilè occurrat, adeſt Oedipus, ex tẽplò ſol-

luet. Verendum tamen, ne qui viginti annorum ſpatio tam minuta effutijt & ſterilia, velut Ixion alter, pro corporibus vmbras, pro veritate nugas meraciſſimas amplecteretur.

Antequam verò vicennem laborem abſolueret, & exigeret monimentum, non equidem ære perennius, vt ſpero, B. Pauli authoritati reſiſtendum, putauit in actis pari audaciâ, quâ in epiſtolis eius mentem, ipſomet inuito in contrarium ſenſum diſtorquere conatus fuerat. Cum enim S. Apoſtolus frequenti ſenatu in Areopago orationem haberet & eloquentiæ, qua pollebat ſpecimen ederet, inter res innumeras, de quibus diſſeruit, dixit, *fecitque ex vno omne genus humanum inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ.* Quæ verba exercitatorem mirum quàm cruciant, etenim huc illucque ſe conuertit, vt horumce verborum vim eludat, aut tam apertum teſtimonium declinet. Vbi iſtud diu intra ſe volutauit ad gręcos codices recurrit in quibus habetur, ἐξ ἑνὸς αἵματος hoc eſt inquit, *ex vna eademque materiâ.* Sed libenter quærerem quis ei hęc dictauit? à quo didicit αἷμα materiam vniuerſam hoc in loco ſignificare? Sed inſcitię non mediocris argumentum eſt, quam hocce libello ſæpiſſimè experiemur. αἷμα eo loci pro homine ſumitur, quo modo ſæpè etiam apud prophanę. Modeſtiam ſanè & προσοχὴν in homine deſidero, qui adeo temerè apoſtoli verba & impudenter deſpicit cap. 25. pag. 50. *Non mouet me*, inquit, *quod introducitur D. Paulus in*

Areopago, dicens act. cap 17. Deum feciſſe totam hominum gentem ex vno ſanguine. Vbi frons? vbi pudor? hominem qui ſe adeo religioſum profitetur, hæc eloqui, & illud diuini eloquij fulmen, & θεορήτορα imperitè ſugillare? ei nunc verba adduco ſanctiſſimi Patris Auguſtini, cap. 4. lib. 3. de peccat. merit. & remiſſione, quibus & modeſtiam diſcat, & Chriſtiano homine dignam mentem induat. *Ego autem,* inquit, *& ſi refellere iſtorum argumenta non valeam, video tamen in hærendum eſſe ijs quæ in ſcripturis ſunt apertiſſima, vt ex his reuelentur obſcura: aut ſi mens nondum eſt idonea, quæ poſſit ea vel demonſtrata cernere, vel abſtruſa inueſtigare ſine vllâ hæſitatione credantur.*

CAPVT II.

Adamum primum hominum fuiſſe euincitur, Geneſis illuſtratur, ſcriptoris proteruia & Temeritas explodantur.

HVMANARVM cognitionum eandem eſſe rationem ac ſtudiorum, & propenſionis omnibus à naturâ inditę, nonnulli graues Philoſophi olim arbitrati ſunt. Cum enim omnes ad bonum quoddam ferri, & quaſi eiuſce rei ſenſum quendam à naturâ gigni intelligerent, ex hac communi animorum propenſione, voluntatumque ſine ex-

ceptione communione & ſummâ concordiâ, optimum iſtud & legitimum libenter pronuntiarunt. Neque aliâ profectò ratione, quę ab omnibus recepta eſt ſententia, & inueterato hominum omnium conſenſu, rerum notitiâ ſuadetur, certiſſima & indubitata debet exiſtimari. In auditum fuit hactenus Adamo ſuperiores prioreſve extitiſſe homines, eóque magis in auditum, quo nullam hac de re in ſcripturâ ſuſpicionem tot viri eruditi ac Sancti Patres potuerunt animaduertere. Quamuis enim teſtamentum vetus accuratè & eruditè, aut interpretati ſint, aut ſuis commentariis illuſtrauerint, nihil tale, licet oculati, & huiuſce generis litteraturę peritiſſimi, in totâ ſcripturâ obſeruauerunt. Ipſemet B. Auguſtinus in quo eruditio, & pietas, religioniſque amor ſincerus certare videntur, innumeris penè hęreticorum quęſtionibus reſpondens aliaſque grauiſſimas, pro ſua ſingulari perſpicaciâ anteuertens, nullam hac de re commoueri poſſe quęſtionem, ſuo ſilentio teſtatur. Scriptorem nuperum his oculatiorem, aut eruditiorem nemo (vt puto) Chriſtianus exiſtimauerit. Eò tamen veſanię prorupit, vt quolibet Thraſone audacior, ex ipſâ etiam Geneſi iſtud euincere poſſe (quamquam falsò) confidat. Gentilum creationem 1. cap. Geneſ. deſcribi aſſerit, Iudęorum verò initia, cap. 2. recenſeri: quę ſanè falſitati ſimillora eſſe quam veritati oſtendemus. Quorſum enim Moſes, qui ex ipſiuſmet ſententiâ populares faſtos

concinauit, hocce vno capite Gentilium hiſtoriam attigiſſet ex profeſſo, & ante Iudaicarum originum deſcriptionem?

S. Auguſtini temporibus anonymus quidam de creatione temerè ſcripſerat & impiè, qui tamen Chriſtianus videri cupiebat: Quem eruditè pro more confutauit lib. 1. contra legis aduerſarium & proph. *Sed quamquam*, inquit, *non mihi apparuerit cuius ſectæ ſit iſte blaſphemus, defendēda eſt aduerſus eius linguam ſcriptura diuina quam maledicis diſputationibus inſectatur. Et quoniam quoquomodo Chriſtianum ſe videri cupit, vnde ex Euangelio, & ex Apoſtolo ponit aliqua teſtimonia, etiam ſcripturis ad nouum teſtamentum pertinentibus, refellendus eſt, vt oſtendatur, in reprehenſione veterum inconſiderantius, quam verſutius inſanire.* Marcion & Valentinus & alij primorum temporum hęretici à patribus hac in re ſtuporis, & dementię inſimulantur.

B. Chryſoſtomus orat. 2. in gen. tomo 1. pag. 8. editionis Sauillianæ. Κἂν γὰρ Μανιχαῖος προσέλθῃ λέγων τὴν ὕλην προϋπάρχειν, κἂν Οὐαλεντῖνος κἂν Ἑλλήνων παῖδες, λέγε πρὸς αὐτούς, ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, ἀλλ' οὐ πιστεύει τῇ γραφῇ· ἀποστράφηθι λοιπὸν αὐτὸν, ὡς μαινόμενον καὶ ἐξεστηκότα, ὁ γὰρ τῷ δημιουργῷ τῶν ὅλων ἀπιστῶν, ὡς καὶ ψεῦδος τῆς ἀληθείας καταγινώσκει, ποίας ἂν τύχοι συγγνώμης ποτε; πεπλασμένον ἔχουσιν ἐκεῖνοι τὸ χρῶμα, καὶ ἐπιεικείας πρόσωπον ὑποδυόμενοι κρύπτουσιν ἐν τῇ δορᾷ τοῦ προβάτου τὸν λύκον. *Etſi enim venerit Manichæus, materiam præexiſtere aſſe-*

aſſerens, etſi Marcion, etſi Valentinus, etſi Græci, repone ipſis, in principio fecit Deus cœlum & terram. Sed non ſcripturæ aſſentitur; fuge ipſum veluti furioſum & deſipientem, qui enim authori omnium non credit, & veritatem vt falſum reſpuit quam veniam merere poterit? Ementito ſunt ij colore, & manſuetudinis vultum gerentes ſub ouina pelle lupum occultant. Mythographus verò noſter hanc à ſe inuidiam amouebit, ait enim lib. 4. cap. 20 pag. 220. *ſcriptum eſt quod profiteor, Deum creauiſſe cœlum & terram in principio. Illud certè audacter aſſeuerauerim, nos non nouiſſe principium illud.* Nimium audacter quidem; Nam Philaſtrius Brixienſis lib. de hęreſibus cap. 63. hęreticum non modò, ſed & impium eſſe ſcribit, aſſerere incertum eſſe numerum annorum à mundi origine, quid ſi nuperi ſcriptoris ſomnia audiret?

Sed vt vaniſſimis coniecturis fidem adimere poſſimus, ex ipſo Geneſeos contextu diluendas, tum ex SS. Patrum interpretationibus explodendas eſſe cenſemus. Caput ſecundum Geneſeos in quo ex authore nouę fabulę Iudęorum recenſentur initia, nihil aliud eſt quam mera ſuperioris capitis anacephalęoſis, quod nempè capite primo ſuccinctè dixerat; & quaſi propoſuerat, idē capite ſecundo prolixius explicat & amplificat, frequentes ſunt in his libris & potiſſimum Geneſi recapitulationes. Nam capite quinto, cum ait, *hic eſt lib. generationis Adam &c.* nonne mera eſt recapitulatio? quod nempè dixerat capite primo,

eo modo reſumit cap. ſecundo, quo capite quarto, ea quę quatuor prioribus geſta ſunt capitibus alioquin, vbi tales occurunt recapitulationes dicendum eſſet, ibi quorundam populorum ortus deſcribi. Sed qua ratione commentum iſtud ſtare poterit, ſi attendatur quod legitur capite ſecundo verſ. quinto, *& homo non erat qui operaretu[r te]rram*, ſi creati tunc fuiſſent alij homines, & capite primo eorum origines deſcriberentur, anne credibile eſt Geneſim tam parum ſibi conſtare, vt in his duobus capitibus, adeo contraria & pugnantia loquatur? diceret ne fuiſſe homines capite primo, & ſtatim proximè ſequenti iſtud negaret? nemo iſtud ſomniauerit. Capite primo terra creata eſt cum cœlo, & ab aquis diſtincta, ſed ita creata eſt, vt homines tantum deeſſent, & belluę quorum omnium creatio ibi perſtringitur, & ſequenti ex profeſſo deſcribitur, vnde Chald. paraphraſis

וצדו מן בני אנשא וריקניא מכל בעיר
& vacua hominibus & omni pecore deſtituta.

Quod ad hęc verba ſpectat *maſculum & fœminam creauit eos* ea de primo homine Adam & Eua propheticè accipiendum docet B. Chriſoſtomus orat. in Geneſim, pag. 59. τοιούτων γὰρ ἔθος ἅπασι τοῖς προφήταις περὶ τῶν μηδέπω γεγενημένων, ὡς γεγενημένων διαλέγεσθαι Iſtud enim ſolemne eſt omnibus prophetis de ijs quę nondum acta ſunt ſicut de actis diſſerere, quod ex Dauide probat ὤρυξαν χεῖράς μου καὶ πόδας μου, καὶ πάλιν διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου

ἑαυτοῖς, ὁρᾷς πῶς τὰ μέλλοντα μετὰ χρόνον πολὺν ἔσεσθαι ὡς ἤδη γεγενημένα προανεφώνει· οὕτω καὶ ὁ μακάριος οὗτος προφήτης ἤδη αἰνιττόμενος ἡμῖν τὴν τῆς γυναικὸς διάπλασιν αἰνιγματωδῶς φησιν καὶ ἀρχέτωσαν τῶν ἰχθύων τῆς θαλάσσης, εἶτα προϊὼν πάλιν σαφέστερόν φησι, καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, κατ' εἰκόνα θεοῦ ἐποίησεν αὐτὸν, ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς. *foderunt manus meas & pedes meos*, &c. rurſus, *partiti ſunt veſtimenta mea. vides quomodo de futuris veluti præteritis diſſerat. Sicet beatus hic propheta, ſubindicans nobis mulieris formationem ænigmaticè dicit, & dominentur piſcibus Maris, & rurſum addens, manifeſtius dicit, & creauit Deus hominem, ad imaginem Dei creauit ipſum, maſculum & fœminam creauit eos.* Conuenientius quippe erat, vt animalia primum cuiuſque generis crearet Deus, hominemque poſtea quem velut dominum regemque conſtituere debebat, vltimò crearet. οὐδὲ γὰρ ἦν εἰκὸς inquit Greg. Nyſs. *de hominis opificio*. τὸν ἄρχοντα πρὸ τῶν ἀρχομένων ἀναφανῆναι, ἀλλὰ τῆς ἀρχῆς πρότερον ἑτοιμασθείσης, ἀκόλουθον ἦν ἀναδειχθῆναι τὸν βασιλεύοντα. ἐπειδὴ τοίνυν οἷόν τινα βασίλειον καταγωγὴν, τῷ μέλλοντι βασιλεύειν ὁ τοῦ παντὸς ποιητὴς προηυτρέπισεν, αὕτη δ' ἦν γῆ τε καὶ νῆσοι καὶ θάλαττα, καὶ οὐρανὸς ὑπὲρ τούτων ὀροφοῦ δίκην ἐπικυρτούμενος. *Neque enim conſentaneum erat regem antè ſubditos adducere, ſed iacto primum fundamento, conſequens erat, regem commonſtrare. Quoddam igitur velut regium domicilium omnium author, futuro regi præparauit. Id autem erat terra, &*

inſulæ, & mare, & cœlum tegminis ad inſtar ſuper hæc incuruatum.

Origines hom. 1. in cap. 1. Geneſ. *fortaſſis vt ego arbitror propter benedictionem, quâ benedixit eos dicens*, creſcite & multiplicamini & replete terram *præueniens quod futurum erat dicit* maſculum & fœminam fecit eos, *quoniam quidem creſcere aliter, & multiplicari non poterat homo, niſi cum fœminâ. Vt ergo benedictio eius ſine dubio futura eſſe crederetur, ait*, maſculum & fœminam fecit eos. *Hoc namque modo homo, videns creſcendi & multiplicandi conſequentiam eſſe ex eo quod fœminæ iungebatur, certiorem ſpem gerere poterat in benedictione diuinâ. Si enim dixiſſet ſcriptura*, creſcite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini in eâ, *non adijciens hoc quia* maſculum & fœminam fecit eos, *vtique benedictioni diuinæ incredulus extitiſſet, ſicut & Maria, ad eam benedictionem qua benedicebatur ab angelo, ait*; Quomodo fiet hoc quoniam virum non cognoſco. *Aut fortaſſe quia omnia quæ à Deo facta ſunt, coniuncta & compaginata dicuntur, vt cœlum & terra, ſol & luna: Ita ergo, vt oſtenderetur, quoniam & homo Dei opus eſt, & non ſine harmonia, vel competenti coniunctione prolatus eſt, idcircò præueniens ait*, maſculum & fœminam fecit eos.

Sed vt Geneſeos textus ab imperitâ interpretationè vindicetur duo hic attendéda proponimus, primum minutas partim & falſas eſſe Præadamitarum coniecturas quod poſtea

docebimus. Secundum Geneſim non omnes omnino homines complecti, ſed eos tantum quorum ſeries erat deſcribenda, cum enim Moſes id vnum intenderet, vt ab Adam, ad Chriſtum hiſtorię ordinem deduceret, eorum tantum mentionem fecit qui ad Chriſti genealogiam pertinerent, quomodo enim tam breui volumine tot hominum, qui breui pullularunt millia comprehendere potuiſſet? Quoſdam ſanè alios, qui vel artium inuentione, vel impietate, inſignes, aut, quapiam aliâ de cauſâ illluſtres extiterunt, cõmemorare non inficiamur. Quod verò ante natũ Sethum plurima hominum millia, terram incoluerint alio loco oſtendemus, vbi de Caino nobis erit agendum. Nihil verò ad hiſtorię ordinem neceſſarium Geneſi deeſſe contendimus, nullamque prophanam hiſtoriam, quamuis accuratam, cum eâ, conferri poſſe; ſi enim iuſtâ trutina expenderentur gentium omnium hiſtorię, & populorum quorum libet annales examinarentur, nulla vnquam nobis occurreret rerum geſtarum ſeries, in qua plurima, rerum etiam ſummè neceſſariarum deſcriptionem, deſideraremus. Geneſis verò nitidè & perſpicuè mundi initia exſequitur. Mundi ortum hominis creationem, innocentiam, peccatum, vitę rationem, circumſtantias denique omnes enumerat. Neque felicem illum ſtatum hominis antè peccatum videtur omiſiſſe, quam in ſententiam prophani ipſi luſerunt.

Heſiodus 1. *oper.* ὥστε θεοὶ δ' ἔζωον, ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες
νόσφιν ἄτερ πόνων, καὶ ὀϊζύος
Vt dij viuebant, ſecurum animum habentes
Sinè laboribus & ærumnis.

Idem adhuc. καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον.
Fructu ferebat vitæ datrix terra
Sponte multum & copioſum.

Ouidi. lib. 1. met. *Contentique cibis nullo cogente creatis,*
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patulâ Iouis arbore glandes.

Boëtius lib. 2. de conſol. met. 5.
Fœlix nimium prior ætas
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu
Facili quæ ſera ſolebat,
Ieiunia ſoluere glande:
Nec bacchica munera norat
Liquido confundere melle.
Vtinam modo noſtra redirent
In mores tempora priſcos!

Vt autem ad quæſtionem redeamus, mirum profectò mihi videtur hominem ἰουδαΐζοντα, rerum Iudaicarum adeo ignarum fuiſſe vt ex

veteribus, ad eiuſce ſectę inſtaurationem nihil planè attulerit. Prętermittam hic multa quæ conquiri potuiſſent ex Rabbinis, idque ex induſtriá factum voluimus, ne nugis nugas adderemus, cum alioquin chriſtiana religio ex delirantium Rabinorum cerebro non pendeat. Diſcutiendum eſt ex Geneſi quo ſenſu id habendum, quod de nominibus Adami & Euæ legitur, non enim aliâ ratione primum hominum Adam ſiue hominem dictum fuiſſe putamus, quam ſi id κατ' ἐξοχὴν dictum fuiſſe quod primus fuerit hominum affirmemus, Quod etiam de Eua intelligendum, quæ cum prima omnium extiterit fœminarum dicta eſt Heua, quod ſit mater viuentium. Quæ mirum in modum conueniunt cum ijs de quibus B. Paulus in Areopago diſſeruit *fecitque ex vno genus omne humanum inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ.*

Deinde animalia omnia quæ nomine ſuo indigitauit Adam, vbi ante ipſum conditoris iuſſu adducta ſunt, innominata, & anonyma hoc eſt confuſa & permiſta fuerunt: Quæcunque enim creauerat Deus, adducta ſunt, *vt videret* Adam *quid vocaret*; dicendum ne eſt animalia omnia, volatilia, reptilia, vno verbo omnia indiſcreta & quaſi anonyma tunc temporis vixiſſe? Nulla ratione id procederet, incõmodũ verò aliud ſequitur critico nupero ineuitabile, ſi enim Iudæorum tantũ primus parens cenſendus eſt Adam, quomodo cæteræ, nationes, peccatum quod vocant originis,

contraxerunt? quomodo labes illa ad tot homines genere & ſtirpe diuerſos peruaſit? Iudæos tantum vt poſteros, repręſentabat, peccatumque ad cæteros transferri potuiſſe, credibile non eſt, non enim quæ de imputationibus ad tædium vſque adduxit, quiſquam verè catholicus admiſerit. Enimuerò ſi peccatum originale in ſolâ imputatione conſiſteret, iuſtitia quæ per Chriſtum reſtituitur, in imputatione conſtitueretur, quod hæreſim genuinumque virus hæreticorum noſtrorum ſapit certè præter imputationem antè baptiſmum; verè in nobis reperitur macula ſeu deformitas, quam nihil aliud eſſe putamus, quam originalis iuſtitiæ priuationem, à quâ in Adam excidimus, qui eam ſibi & poſteris ſeruare debebat. Quæ cum olim in Gallia vir eruditus Hugo Grotius animaduerteret, licet Pelagianiſmi ſuſpicione non careret, peccati tamen *Originalis* euerſionem auguratus eſt, & in diſſertatione ſecunda de origine gentium Americanarum contra Ioannem de Laet; ait, *ſi hæc credantur magnum video periculum pietati.*

Aduerſus eruditum hunc hominem mirum in modum æſtuat author fabulæ Præadamitarum, & quamuis rabioſum ſilentium rodat; neque quidquam proferre audeat, totus tamen in bilem ſoluitur, lib. 4. cap. 14. pag. 236. Eaque ſubticet de induſtria quæ vir eruditus prudenter reſpondit. Nos & Adamum primum omnium hominum agnoſcimus; peccatum in eo contraxiſſe, cum omni eccleſia credimus;

dimus, atque ex eo factum, vt mortem, plurimorumque malorum originem acceperimus, quod nos ſequenti capite expendemus.

CAPVT III.

Mors Adami: eiuſque conditio, & ſtatus in paradiſo examinantur, atque ex Concilijs & Patribus adſtruuntur.

ADAMVM primum hominem, peculiari conditoris dono & gratia decoratum, paradiſi poſſeſſione diuitem, præceptum violaſſe, mortemque ſibi & poſteris meruiſſe, receptum eſt apud orthodoxos omnes: Atquè etiam naturam hoc crimine vitiatam, & in ſcelus exinde pronam, homineſque Dei gratia deſtitutos reliquiſſe, cæteraſque infinitas ſceleris appendices pœnas in genus humanum inuexiſſe docet eccleſia: Vt enim ſumma & perfectiſſima libertate potiebatur: Ita eius peccatum grauiſſimum fuiſſe, certiſſimum eſt. Quod adeò eccleſiæ & patrum conſenſu ſtabilitur, vt mirum videatur eò audaciæ ſcriptorem nuperum prorupiſſe, vt contrà Sanctorum Patrum admirabilem concordiam, atque etiam, (quod Caluiniſtarum nullus hactenus præſtare auſus eſt) contra B. Pauli verba in hanc rem conſpirantia, hæc proferre non ſuppuduerit, lib. 1. cap. 2. pag. 8. & lib. 5. c. 7. *Non ergo is ſum qui putem imputationem peccati Ada-*

mici labefactauiſſe naturam hominum. Cum verò toties imputationum mentionem fieri animaduerti, ſtatim è fæce Caluiniana miniſterulum quendam conjeci, qui ſuis tantum vellet inſanire, neque omnibus verba dare contenderet. Non enim ſuas de imputatione nugas vel mediocriter probauit; ſed tantùm ad tædium vſque, tanquam indubitatum quoddam principium repetit. Ad quæ reſponderemus, ſi vel leuiſſimis rationibus, aut idonei cuiuſdam teſtis authoritate fulcirentur. Sed hæc mittimus inpræſentia, vt mortem Adami è peccato profluxiſſe demonſtremus.

B. Paulus ad Rom. 5. verſ. 12. *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Et adhuc, *ſtipendium peccati mors.* Quibus in locis mortem in mundum non ſubintraſſe dicit Apoſtolus, niſi ex peccato Adami. Sapientiæ 2. verſ. 23. ὁ θεὸς ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ. Anne aliud eſt quam Deum hominem immortalem & inexterminabilem creauiſſe? quod infinitis ſcripturæ locis confirmatur, quæ ab omnibus vulgò afferuntur, quod ex patribus euincere etiã nõ recuſamus.

S. Auguſtinus lib. 13. de ciuit. Dei cap 15. *vnde conſtat inter chriſtianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipſam nobis corporis mortem non lege naturæ, quia nullam mortem homini Deus fecit, ſed merito inflictam eſſe peccati; Quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini, in quo tunc omnes eramus, terra es & in terram ibis.*

Idem 6. de Gen. ad litt. cap. 22. *Ac per hoc*

mors etiam corporis de peccato eſt. Si ergo non peccaſſet Adam, nec corpore moreretur: Ideoque immortale haberet & corpus, & poſtea, *Verum eſt quidem, quod non moreretur etiam corpore, niſi peccaſſet, apertè quippe dicit apoſtolus* corpus mortuum propter peccatum.

Idem de Gen. ad litt. 11. cap. 32. *Hæc mors ea die accidit qua factum eſt quod Deus vetuit, amiſſo quippe ſtatu mirabili corpus ipſum cui ſtatus etiam de ligno vitæ virtute myſtica præbebatur, per quam nec tentari, nec mutari ætate potuiſſent &c.*

Idem lib. 1. de peccator. mer. & remiſs. ad Marcellinum cap. 1. *Qui dicunt Adam ſic creatum, vt etiam ſine peccati merito moreretur, non pœna culpæ, ſed neceſſitate naturæ, profectò illud quod in lege dictum eſt*, Qua die ederitis morte moriemini, *non ad mortem corporis, ſed ad mortem animæ, quæ in peccato ſit, referre conantur. Qua morte, mortuos ſignificauit Dominus infideles, de quibus ait*, ſinite mortuos ſepelire mortuos ſuos. *Quid ergo reſpondebunt, cum legitur, hoc Deum primo homini etiam poſt peccatum, increpando & damnando dixiſſe*, terra es & in terram ibis, *Neque enim ſecundum animam, ſed quod manifeſtum eſt, ſecundum corpus terra erat, & morte eiuſdem corporis erat iturus in terram. Quamuis enim ſecundum corpus terra eſſet, & corpus in quo creatus eſt, animale geſtaret, tamen ſi non peccaſſet, in corpus fuerat ſpiritale mutandus, & in illam incorruptionem quæ fidelibus ac ſanctis promittitur, ſine mortis periculo tranſi-*

turus. Cuius rei deſiderium nos habere non ſolum ipſi ſentimus in nobis, verum etiam admonente Apoſtolo cognoſcimus vbi ait. Et enim in hoc ingemiſcimus habitaculum noſtrum quod de cœlo eſt, ſuperindui cupientes, ſi tamen induti, nudi non inueniamur. Etenim qui ſumus in hac habitatione, ingemiſcimus grauati, in quo nolumus exſpoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur mortale à vita. *Proinde ſi non peccaſſet Adam, non erat exſpoliandus corpore, ſed ſuperueſtiendus immortalitate & incorruptione, vt abſorberetur mortale à vita, id eſt, ab animali in ſpiritale tranſiret.* Et toto ferè libro nihil aliud docet, & alibi paſſim vbi de hac controuerſia diſputat, addamque vnum hoc ex eodem lib. cap. 3. Quoniam duo notanda mihi videntur, agit enim de Iudæorum veſtibus non attritis, quod negat patronicliens Præadamitarum, hac nempè fideliâ duos parietes dealbabimus. *Si enim,* inquit, *Deus Iſraëlitarum veſtimentis & calceamentis præſtitit, quod per tot annos non ſunt obtrita, quid mirum ſi obedienti homini eiuſdem potentia præſtaretur, vt animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam ſtatum, quo ſine defectu eſſet annoſum, tempore quo Deus vellet, à mortalitate ad immortalitatem, ſine media morte tranſiturus.*

B. Fulgentius egregius tanti magiſtri diſcipulus lib. de incarn. cap. 12. *Niſi præceſſiſſet in peccato mors animæ, nunquam corporis mors in ſupplicio ſequeretur, & homo in terram carne non iret, ſi terra peccando non fieret.*

Tertullianus de animâ. *Qui autem primordia hominis nouimus, audenter determinamus, mortem non ex naturâ ſecutam hominem, ſed ex culpâ.*

Marius victor libro primo.

Qui ſi mandata ſupremi.
Seruaſſent integra Dei, crudelia mortis
Imperia & diros neſciſſent vſque labores.

Gregorius Nyſs. orat. in fun. Pulch. to. 2. οὐδὲν γὰρ ἄλλο τί ἐστιν ἀνθρώπων θάνατος, εἰ μὴ κακίας καθάρσιον. *Hominum enim mors nihil aliud eſt quam peccati expiatio.*

Sed poſt tot egregias ſanctiſſimorum Patrum, & eruditorum ſententias, quo ſe verteret, quid caperet concilij, quid agendum de his vocibus, lib. 1. cap. 3. *Debuit Adamus mori naturaliter, & cauſâ purè naturali, ex quo materia corruptibili & mortali compactus eſt.* Debuerat ſaltem tenebrio aduertere ſe damnatas hæreſes nouis addere, & proſcripta dogmata recudere, quæ Concilium Mileuitanum, ſub Innocentio IV. anno 416. can. 1. damnauit, ſiue Synodus Carthaginenſis, habetur enim canon iſte 109. collectionis eccleſię Affricanæ.

Can. 1. conc. Mileu.

Vt quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, itaut ſiue peccaret, ſiue non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit.

Can. 109. eccl. Affric.

ἵνα ὅστις λέγῃ ἀδὰμ τὸν πρωτόπλαστον ἄνθρωπον, θνητὸν [illegible] ὥστε εἴτε ἁμαρτήσει εἴτε μὴ

ἁμαρτήσει, τεθνηζόμενον ἐν τῷ σώματι, τουτέστιν ἐξελθεῖν ἐκ τοῦ σώματος μὴ τῇ ἀξίᾳ τῆς ἁμαρτίας, ἀλλὰ τῇ ἀνάγκῃ τῆς φύσεως, ἀνάθεμα ἔστω.

Concilium Arauſ. 2. ſub Felice 4. an. 529. can. 1. Si quis per offenſam præuaricationis Adæ, non totum, id eſt ſecundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, ſed animæ libertate, illæſâ durante, corpus tantūmodò corruptioni credit ob noxium Pelagij errore deceptus aduerſatur ſcrip. &c.

Tridentina Synodus ſeſs. 5. capite primo, ſi quis non confitetur primū hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & iuſtitiam, in quâ conſtitutus fuerat, amiſiſſe, incurriſſeque per offenſam præuaricationis huiuſmodi iram & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam anteà comminatus illi fuerat Deus, & cum morte captiuitatem ſub eius poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt Diaboli, totumque Adam per illam præuaricationis offenſam, ſecundum corpus & animā in deterius cōmutatum fuiſſe, anathema ſit.

Quibus in locis monitos omnes velim, prȩter id quod hic agimus prȩcipuam dirimi controuerſiam, Adamum nempè dici primum hominem & πρωτόπλαστον dici non in priuatis tantum Concilijs & prouincialibus, ſed etiam in Oecumenicis & ſolemnibus Eccleſiæ comitijs id determinatum fuiſſe. Tridentini Concilij non dubito authoritatem eleuabit Præadamitarum patroni cliens vt & fortè Arauſi-

tani, ſed vtrumque ſuperioribus Concilijs & Eccleſiæ decretis ſubſcribit. Qui vero orthodoxi nomine decorantur id ſibi credendum agnoſcent, peſtemque illam ſibi fugiendam proponent.

Pergit tamen commentum ſuum adſtruere lib. 1. cap. 2. pag. 9. *Inauditum eſt*, inquit, *Adamum ipſum crimen & caput, vt aiunt malorum tantorum, vel minimo corporis morbo tentatum fuiſſe totis triginta & nongentis annis, quibus vixiſſe notum eſt*, & lib. 5. c. 7. pag 278. *Quare athleticè valuit? Quare vitam longæuam duxit, ad triginta & nongentos annos?*

Ad ea ex patribus reſpondebimus, & primùm ex Auguſtino lib. 1. de peccat. merit. & remiſs. cap. 16. *Quamuis annos multos poſtea vixerint, illo tamen die mori cœperunt, quo mortis legem qua in ſenium veteraſcerent, acceperunt. Non enim ſtat vel temporis puncto, ſed ſine intermiſſione labitur, quidquid continua immutatione ſenſim currit in finem non perficientem ſed conſumentem. Sic itaque impletum eſt quod dixerat Deus*, quo die ederitis morte moriemini.

Et lib. 13. de ciu. Dei cap. 23. *Quamuis autem cum Deus dixit* quâ die ederitis ex illo morte moriemini, *intelligamus mortem illam manifeſtam, qua fit animæ à corpore ſeparatio eſſe ſignificatam, non propterea tamen id videri debet abſurdum, quia non eo prorſus die à corpore ſunt ſoluti, quo cibum interdictum mortiferumque ſumpſerunt. Eo quippè die mutatâ in deterius, vitiataque natura, atque à ligno vitæ ſeparatione*

iuſtiſſima mortis in eis etiam corporalis neceſſitas facta eſt, cum qua nos neceſſitate nati ſumus.

Et cap. 4. eiuſdem lib. adductis mirificis rationibus, lociſque quamplurimis ex Apoſtolo dixerat. *Puto quod non expoſitorem ſed tantum lectorem opus habet tam clara & aperta ſententia,* corpus, *inquit*, mortuum eſt, *non propter fragilitatem terrenam quia de terræ puluere factum eſt, ſed propter peccatum, quid amplius quærimus?*

Gregorius Nyſs. 1. con. Eunomium pag. 54: οὐκοῦν πολλὰς ἐτῶν ἑκατοντάδας ἐπεβίω, μετὰ τὴν παρακοὴν ὁ πρωτόπλαστος; ἀλλ' ὁ θεὸς οὐκ ἐψεύσατο εἰπὼν ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ φάγητε, θανάτῳ ἀποθανεῖσθαι; διὰ γὰρ τοῦ ἀλλοτριωθῆναι αὐτὸν τῆς ὄντως ζωῆς, αὐθημερὸν ἐκυρώθη κατ' αὐτοῦ ἡ τοῦ θανάτου ἀπόφασις, μετὰ ταῦτα δὲ χρόνοις ὕστερον, καὶ ὁ σωματικὸς τῷ ἀδὰμ ἐπηκολούθησε θάνατος. *Nonnè multos annos vixit primus hominum poſt tranſgreſsionem? At Deus non mentitus eſt dicens,* quâ die ederitis morte moriemini. *Eo quod enim vita verè æterna ſemet priuauit, eodem die mortis decretum in ipſum confirmatum eſt, poſteà verò mors corporea ipſum Adam ſecuta eſt.*

Chryſoſtomus orat. 17. in Geneſ. pag. 117. εἰ γὰρ καὶ πολλῶν ἐτῶν χρόνον ἔζησαν, ἀλλ' ὅμως ἀφ' ἧς ἤκουσαν τὸ γῆ εἶ καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ, καὶ τὴν ἀπόφασιν ἐδέξαντο τοῦ θανάτου θνητοὶ γεγόνασι καὶ ἐξ ἐκείνου ἄν τις εἶπεν τεθνηκέναι. *Etſi enim multos annos vixerint, nihilominus ab eo quo* ſibi dictum *audierunt illud* terra es & in terram ibis, *& mortis ſententiam acceperunt, mortales facti ſunt, eóque ipſo mortuos fuiſſe dici poteſt.*

Theo-

Theodoretus quæſt. 38. in Gen. pag. 34. ed. Sirmondi. εἴωθε γὰρ μείζονα μὲν ἀπειλεῖν, ἐλάττους δὲ τῶν ἀπειλῶν τὰς τιμωρίας ἐπάγειν, Καὶ τοῦτο πολλαχῆ ἔστιν εὑρεῖν παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ ἐνταῦθα μέντοι τὸν τῆς θνητότητος, ὅρον ὠνόμασε θάνατον, οὕτω γὰρ καὶ ὁ Σύμμαχος ἡρμήνευσεν, ᾗ δ' ἂν ἡμέρᾳ φάγῃ ἀπὸ τοῦ ξύλου, θνητὸς ἔσῃ, μετὰ γὰρ δὴ τὴν θείαν ἀπόφασιν καθ' ἑκάστην ὡς ἔπος εἰπεῖν ἡμέραν τὸν θάνατον προσεδέχετο. *Solet quippe multum minari minis verò minores pœnas infligere. Iſtud in ſacra Scriptura multis in locis videre eſt, hoc in loco mortis decretum, mortem appellauit, Symmachus enim ita interpretatus eſt*, quâ verò die comedes de ligno, mortalis euades. *Etenim poſt diuinam ſententiam*, quotidiè vt vita dicam mortem expectabat.

Primi ſcilicet parentes nullo labore nullâque moleſtia afficiebantur, & vt habet Marinus Victor lib. 1.... *Nec prorſum obnoxia morbis*
Corpora geſtabant....

Heſiodus lib. 1. ἔργων quem vt extraneum teſtem ſed forté non intempeſtiuũ adducimus.

Θνῆσκον δ' ὡς ὕπνῳ δεδμημένοι· ἐσθλὰ δὲ πάντα
Τοῖσιν ἔην

Moriebantur velut ſomno ſopiti, omnia verò eis ſuppetebant.

Atqui inquit vitilitigator, lib. 1. cap. 3. p. 12. *Tulerat Deus Adamum antè peccatum in Paradiſũ, vt operaretur culturæ Paradiſi. Ergo vt verteret & exerceret terram Paradiſi antè peccatum & in laboribus ex ea comederet.. nota hic labores antè & poſt peccatum.*

Plurimum ſanè verborum in hanc rem congerit, in quibus profectò ne mica quidem ſalis reperitur. Licet enim Deus adduxerit Adam in Paradiſum, vt coleret eum & cuſtodiret, ſequitur ne tunc laboraſſe Adamum, & ſeruorum more vixiſſe? Sed audiatur imprimis B. Auguſtinus lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 9. *Quid abhorret*, inquit, *ſi credamus hominem ita in Paradiſo conſtitutum, vt operaretur agriculturæ, non labore ſeruili ſed honeſta animi voluptate?* Et lib. de Gen. contra Manich. ſub finem. *Laboret iam Adam in agro ſuo, & quod ſpinas & tribulos ei pariat terra, intelligat non naturæ eſſe, ſed pœnæ.*

Quid ſi addamus illud Theophili Antiocheni, lib. 2. ad Autolycum οὐκ ἄλλην τινὰ ἐργασίαν δηλοῖ, ἀλλ' ἢ τὸ φυλάττειν τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ. *Non aliam operationem indicat, quam Dei ſeruare præceptum.*

B. Chryſoſtomus hom. 14. in Gen. pag. 87. ἀλλ' ἐβουλήθη τέως μικράν τινα καὶ σύμμετρον ἔχειν αὐτὸν μέριμναν, περί τε τὴν φυλακὴν καὶ τὴν ἐργασίαν, καὶ γὰρ ἔτι πόνου παντὸς ἦν ἀπηλλαγμένη ἡ ἐργασία, παρεῖχε δὲ αὐτῷ ἀσχολίαν τινὰ ἀνώδυνον καὶ ἀταλαίπωρον. *At ſtatim voluit Deus paruam quandum & modicam curam ipſum habere, tum in cuſtodiēdo tum in excolendo. Tunc quippe laboris adhuc omnis expers erat cultura illa occupationem vero ſuppeditauit quandam ſine dolore & ærumnis.* Quo loco nihil manifeſtius ad huiuſce extra laborem culturæ explanationem poteſt excogitari. Cum enim otio pernicioſius nihil

extet, præſertim inter affluentes delitias, qui-abundè refertus erat hortus, illius cuſtodiam culturamque velut ad otium depellendum, & oblectamenti loco conceſſit.

Baſilius Mag. in reg. ad quæſt. 55. pag. 489. ὥσπερ γὰρ εἰ ἦμεν ἐν τῷ παραδείσῳ τῆς τρυφῆς, οὐδὲ ἂν ἐπινοίας καὶ μόχθου γεωργικοῦ ἐπεδεήθημεν· οὕτω καὶ εἰ ἐν ἀπαθείᾳ ἦμεν κατὰ τὸ πρὸ τοῦ παραπτώματος ἐν τῇ δημιουργίᾳ χάρισμα, οὐδενὸς ἂν τῶν ἐξ ἰατρικῆς πρὸς παραμυθίαν ἐχρῄζομεν.

Quemadmodum enim ſi in Paradiſo voluptatis eſſemus, non indigeremus labore & ſollicitudine agriculturæ: ita & ſi paſſionum fuerimus expertes, iuxta gratiam ante peccatum in creatione conceſſam, nullis medicinæ remedijs indigeremus.

Sed hac de re iterum audiatur S. Auguſtinus lib. 14. de ciu. cap. 26. loquens de Paradiſo. *Nullus*, inquit, *intrinſecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinſecus. Summa in carne ſanitas, in anima tota tranquillitas, ſicut in Paradiſo nullus æſtus aut frigus: ſic in eius habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offenſio. Nihil omnino triſte, nihil inaniter lætum: gaudium verò perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro & conſcientiâ, bona, & fide non fictâ; Atque inter ſe coniugum fida ex honeſto amore ſocietas, concors mentis corporiſque vigilia & mandati ſine labore cuſtodia. Non laſſitudo fatigabat otioſum non ſomnus premebat inuitum.*

Neque tamen peccati peruaſionem hominumque ſtatum poteſt concipere, nam cap. 7.

lib. 5. pag. 277. ſolita nugacitate ait. *Animaduertere rigidius ſolent quæſitores in criminum autores : quam in eorumdem participes vel conſcios.* *Quod nos iura omnia docent, gentilium, & ciuilia. Neque probatione eget ; quia probatione ipſa adeo multa & circumfuſa eſt, obnubilaretur: Ius illud in Adamo ſolo non obtinuit : qui tanquam caput peccauit, neque tanquam caput pœnas dedit peccati ſui.* Quæ ſint hic orationis vitia non expendimus grammaticorum enim partes non ſuſtinemus. Vtque talia infinita exſibilentur id reſpondere nobis promptum eſt, quod habet Theodoretus quęſt. 46. in Gen. τί δὴ τοῦ ἀδὰμ ἡμαρτηκότος, ἄβελ ὁ δίκαιος ἐτελεύτησε; σαθρὸν ἠβουλήθη ὁ θεὸς γενέσθαι τὸν τοῦ θανάτου θεμέλιον, εἰ γὰρ ἀδὰμ πρότερος ἐτελεύτησεν, ἔσχεν ἂν ἐκεῖνος ἰσχυρὰν τὴν κρηπῖδα, πρῶτον νεκρὸν τὸν ἡμαρτηκότα δεξάμενος, ἐπειδὴ δὲ τὸν ἀδίκως ἀνῃρημένον ἐδέξατο πρῶτον, σφαλερὸν τὸ θεμέλιον ἔχει. *Quorſum verò vbi Adam peccauit, Abel iuſtus interijt? Infirmum voluit Deus eſſe mortis fundamentum, ſi enim Adam primus mortuus fuiſſet, obtinuiſſet illa firmã ſedem peccatorem primum mortuũ excipens: quoniam verò eum primum ſuſcepit qui iniuſtè occiſus eſt parũ ſtabile habet illa fundamentũ.*

Anne aliquam adhuc obluctandi occaſionem habebit? anne de Adami morte, peccati *originalis* peruaſione, ſtatuque in Paradiſo dubitare poterit? Exploſa puto hac reſponſione & Sanctorum Patrum interpretatione ridicula eius ſciſcitatio, in quâ vt & vbique adeo ceſpitat, vt neque quid ſcriberet, aut quid ſibi omnino vellet ſciuiſſe videatur.

Capvt IV.

Iudæorum elogia perſtringuntur, quinam fuerint filij Dei & filij hominum inquiritur, Geneſeos locus explicatur.

OMnis quæ de re aliquâ inſtituitur diſputatio, à rebus quidem certiſſimis debet proficiſci, & minimè dubijs principijs falſis ve inniti. Ad quod ſi attendiſſet immodicus Iudæorum encomiaſtes neque forſan tam turpiter & deſperatè erraſſet, neque ex falſis principijs infinita (vt fieri ſolet) protuliſſet abſurda, ſed veluti certiſſimis quibuſdam & receptis apud omnes principijs ſuum dogma adſtruere conatus fuiſſet. Vnde ſæpè mentem ſubijt cogitatio, hominem in piſtrino Caluiniano educatũ de his veluti certiſſimis & receptis regulis, apud ſuos tantũ voluiſſe diſſerere. Nimis multa verba fecit, tum in ſuâ Iudaicâ præfatione & alibi paſſim tum maximè toto lib. 2. quibus Iudęos gentẽ electam à Deo probaret, atq; in cœlum ſi potuiſſet omnem Iudęorum nationem eueheret, cæteraſq; nationes à Deo repudiatas & peccatrices aſſereret. Stante equidem Moſis lege ſplendorem ſuum obtinuerunt Iudæi, neque fortaſſè adeo intempeſtiua iſtiuſmodi immoderata elogia extitiſſent. Sed vbi lux Euangelij affulſit, hominum-

que mentes & quaſi nube obductos oculos puriori luce colluſtrauit, ſcire debuit Iudæorum amaſius Iudæos arbores fuiſſe quibus inoculati ſunt Chriſtiani, litteram quidem eſſe apud ipſos, apud nos verò ſpiritum. τὰ μὲν γράμματα παρ' αὐτοῖς, τὰ δὲ νοήματα παρ' ἡμῖν, inquit Chryſoſtomus, adeoque peruicaces hos eſſe populos, vt veræ & vnicæ lucis ſplendori oculos occludant. *Obſeruantes* inquit Arnobius iunior ad Pſal. 13. *Sabbata & baptiſmata calicum & vrceorum, Dei verò filium & eius Diſcipulos, vt diximus perſequentes, de genere non de iuſtitiâ præſumebant.*

Quis hoc non miretur? aut potius quis adeo rigidus & ſeuera fronte hæc non rideat? populum duriſſimo exilio, perpetuoque niſi reſipiſcat, damnatum, per varias orbis partes vagantem foci ſediſque ſecuræ ignarum, laudatores adhuc & quidem publicos habere? *Dicti verò ſunt Gentiles* inquit Encomiaſtes lib. 2. cap 78. *filij hominum, ratione oppoſitionis qua Iudæi fili Dei vocati ſunt*, & cap. 11. p. 106. eod. lib. *Gentiles qui ex mea hypotheſi Aborigines creati à principio in terris omnibus, filij hominum vbique ferè ſemper vocati ſunt.* Et toto (vt ita dicam) lib. 2. nihil aliud nugatur, quod tamen falſum & nullo argumento valido aut teſtimonio communitum facilè demonſtrabimus. Et quamuis canina illa facundia quæ plurimorum occupauit ingenia, nullo modo me delectet, neque cuiuſquam exiſtimationi obtrectari, aut ſeuerius quemquā perſequi in-

ſtituerim, aut (vt aiunt) nodum in ſcirpo quærere, iſtud tamen veroſimile nequaquam putauerim. Per filios Dei, Sethi poſteros, per filios hominum Caini ſobolem intelligi in Geneſi probabimus, idque ex varijs ijſque luculentiſſimis Sanctorum Patrum locis euincemus, & ab imperitâ interpretatione vindicabimus locum illum Geneſ. cap. 6. 2. &4. *videntes filij Dei filias hominum quod eſſent pulchræ acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant.* Præ-Adamitarum patronus per filias hominum Gentilium filias interpretatur, quibus ſeſe coniunxerunt filij Dei ſiue Iudæi. Quod lib. 4. cap. 7. exagitat, aſſeritque ideò diluuium Iudęam inundaſſe, quod Iudæi Gentilium filias in vxores acceperint. Nos verò Sethi poſteros & Enos, impię Caini proli matrimonij vinculo coniunctos eò loci ſubindicari aſſeueramus.

B. Chryſoſtomus orat. 22. in Gen. pag. 156. προλαβόντες ἐδιδάξαμεν ὑμᾶς ὅτι ἔθος τῇ γραφῇ, καὶ τοις ἀνθρώποις υἱοὺς θεοῦ καλεῖν, ἐπεὶ οὖν ἀπὸ τοῦ Σὴθ οὗτοι κατῆγον τὸ γένος τοῦ τὸν ὑπ᾽ αὐτοῦ τεχθέντα προσαγορεύοντος Ἐνὼς (οὗτος γάρ φησιν ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ) ἐξ ἐκείνου λοιπὸν, οἱ ἐξῆς τικτόμενοι υἱοὶ θεοῦ προσηγορεύθησαν παρὰ τῆς θείας γραφῆς, διὰ τὸ μιμεῖσθαι μέχρις ἐκείνου τῶν προγόνων τὴν ἀρετὴν, υἱοὺς δὲ ἀνθρώπων ἐκάλεσε τοὺς πρὸ τοῦ Σὴθ γεγονότας, τοὺς ἀπὸ τοῦ Καΐν, καὶ τοὺς ἐξ ἐκείνου τὸ γένος κατάγοντας. *Proxime docuimus ſolemne eſſe ſcripturæ, homines etiam vocare filios Dei. Quoniam enim genus ducebant à*

Setho qui filium Enos appellauit (ipſe enim, *inquit*, cœpit inuocare nomen Domini Dei) *qui poſteà ex ipſo geniti ſunt filij Dei dicuntur à ſacrâ Scriptura, eo quod ad ipſum vſque maiorum virtutē imitati ſint, filios autem hominū appellauit eos, qui ab alio quam Seth ſuum genus ducebant, & qui ad Cainum eiuſque ſobolem illud referebant.*

Eadem eſt Cyrilli doctrina lib. 9. contra Iul. t. 3. p. 297. οἱ γεμὴν ἐνὼς ἐπίκλην θεοῦ καὶ μέχρι τοῦ νῶε τῆς προγονικῆς ἐπιεικείας ἰόντες κατ' ἴχνος ἀγαθοὶ καὶ δίκαιοι· καὶ τί γὰρ οὐχὶ τῶν τοιούτων ὄντες ἐφαίνοντο; ἄμικτα δὲ ἦν ἀλλήλοις τὰ γένη, καὶ ἀπενοσφίζοντο τῶν βεβήλων οἱ καθαροὶ οὓς δεὶ καὶ υἱοὺς ἐκάλουν τοῦ θεοῦ ἔν γε τοῖς τοῦ νῶε καιροῖς. *Enos igitur diuini dicti liberi, vſque ad Noë majorum manſuetudinem & veſtigia ſecuti, boni & iuſti fuerunt; in quo enim ab ijs differre viſi ſunt? Non permiſtum eis erat genus, & ab impijs ſe abſtinebant pij, quos & filios Dei vocabant, Noë temporibus.*

Id etiam appoſitè docet Theodoretus, quæſt 47. in Gen. pag. 39. ὅθεν οἱ ἐκ τούτου φύντες υἱοὶ θεοῦ ἐχρημάτιζον, ὥσπερ δὴ καὶ ἡμεῖς ἐκ τῆς τοῦ δεσπότου χριστοῦ προσηγορίας χριστιανοὶ καλούμεθα. *Vnde qui ab ipſo* Setho *geniti ſunt filij Dei vocabantur quemadmodum & nos ex Chriſto, Chriſtiani appellamur.* Quod prolixius poſtea declarat.

Accedit Caſſianus collat. 8. cap. 21. *Donec ergo perſeuerauit inter illos generationis eorum iſta diſcretio, ſemen illud Seth, vt pote de optimâ radice procedens pro merito ſanctitatis Angeli Dei, ſiue vt diuerſa exemplaria continent filij Dei vocati ſunt, & e contrario illi* (Caini ſcilicet

poſteri)

poſteri) *propter impietatem vel ſuam, vel patrum ſuorum & opera terrena filij hominum nuncupantur.*

Sed dilucidè & eruditè pro more B. Auguſtinus lib. 15. de ciu. cap. 23. *Potuerunt ergo, gygantes* inquit, *naſci, & priuſquam filij Dei qui & Angeli Dei dicti ſunt cum filiabus hominum, hoc eſt, ſecundum hominem viuentium miſcerentur, filij ſcilicet Seth, filiabus Cain, nam & canonica ſcriptura ſic loquitur in quo libro hæc legimus, cuius verba iſta ſunt*: & factum eſt, &c.

Nihil puto luculentius dici potuiſſe fœcundus ſomniorum parens fatebitur, non enim S. ille Pater tergiuerſatur, aut ſcripturæ difficultates eludit, verum eruditè ſolideque reſpondet. Cuius ſanè tanta fuit ſemper authoritas, vt nullus Chriſtianorum vel ei derogandum vel aliquid detrahendum temerè vnquam balbutiet.

Vnum hic ſupereſt nobis expendendum, quo nihil acrius torquet encomiaſten, quo tamen nonnihil profeciſſe, remque demonſtraſſe certò ſibi perſuadet: ait enim pag. 104. lib. 2. 11. c. 11. *Atque vt vero veriſſimo vinca Gentiles genere & primâ ſui origine diuerſos à Iudæis: attente cogitate ad illa quæ edicebat Deus Abrahamo, quo tempore circumciſionem illi & toti domui eius indicabat Geneſeos 17. circumcidetur, inquit, vernaculus & emptitius, & quodcunque non fuerit de ſtirpe veſtrâ. Ideſt quodcunque non fuerit de genere Adamico.* Quis ei hæc dictauit? quis tam ſtolidè ſcripturam interpretari & contra ipſiuſmet ſcripturę mentem docuit? Nonne ex aliâ ſtirpe quam

ex ſtirpe Abrahami poterant eſſe ſerui, & emptitij ex alijs Noë poſteris tunc eſſe potuerunt. Cum enim Abrahã ex Thare genitus ſit, & genus referret ad Thare, Nachor, Serug, Reu, Phaleg, Heber, Sale, Arphaxard, Sem, Noë, Nonne in decem generationibus & hominum longæuorum propagine, infiniti propemodum potuerunt eſſe cuiuſlibet conditionis homines? An alij ex Iapheti aut Chami ſobole potuerunt eſſe, quorum adeo ſtirps pullulauerat vt diluuij iacturam reparaſſe credibile fuerit, orbemque vniuerſum hominibus & colonis impleuiſſe.

Thare etiam plures liberos ſuſcepit, quos & ſcriptura Gen. cap. 11. verſ. 27. commemorat, Abraham, Nachor, & Aran. Quid vetat ex ijſce familijs extare potuiſſe emptitios ſeruos, & qui de ſtirpe Abrahami non eſſent cum alioqui ſatis temporis ſit elapſum vt ad hæc incrementa & multò maiora perueniſſe credamus. Scriptura enim nihil aliud intelligit quam eos ſeruos qui de familiâ non eſſent Abrahami.

Deinde S. Auguſtinus lib. 16. de ciuit. c.26. ait. *Hic apertiora promiſſa ſunt de vocatione gentilium in Iſaac, id eſt, in filio promiſſionis, quo ſignificatur gratia non natura, quia de anu ſterili promittitur filius.* Eò enim loci B. Auguſtinus docet ſubinnui non naturâ ſed regeneratione futurum eſſe filium: hinc octauo die circumciſionem imperari, non modo ſeruorum οἰκογενῶν ſed etiam emptitiorum, ſeu ex alia familiâ & ſtirpe, vt omnes eiuſdem gratiæ participes fierent.

Hæc verò prætermitti potuiſſe non diffitemur, vt & plurima de quibus nullam in præſentiâ mentionem facimus: licet enim longiſſimâ & intemperanti diſputatione toto l. 2. nugetur infinita eius generis, ſi tamen hæc contemnantur, ſtatim vileſcent. Quoniam tamen ex verbis ſuperius allatis, & imperitè expoſitis rem ſuam facere confidit, nos hoc ſubterfugium & hanc inſaniendi occaſionem ſummouere ſtatuimus.

Capvt V.

Caini genus recenſetur, vita & matrimonium explicantur, vrbis Enochiæ extructio cæteraque nonnulla deteguntur.

Dabimvs hoc capite extremæ nouatoris inſcitię ſpecimen in Caini genealogiâ, in quâ ſummam pręfert obſtrectandi libidinem, cum pari ſtupore coniunctam. Cum enim Cainum agricolam fuiſſe & terrarum culturæ inſudaſſe diffiteri non poſſet, innumeras ſtatim artes ſupponi, tum ad inſtrumenta, tum ad alia quælibet agricolis neceſſaria præparanda obijcit, quibus perficiendis imparem fuiſſe Cainum credibile putat. At hic vt & vbique ineptire, & vehementer hallucinari manifeſtum, puto, reddemus. Idem enim incommodum in ipſiuſmet ſequeretur

hypotheſi in alijs primis hominibus orbis incolis, niſi vno eodemque momento, vnâque nocte fungorum ad inſtar procreatos fuiſſe, artiumque omnium callentiſſimos, nobis ſuggerat. Verùm vt ſeriò hæc tractentur, homines ex paruis initijs & ex vno Adam orti, ad magna prolis & propagationis incrementa paulatim crexerunt ſe ſe, arteſque adinuenere quibus poſteà ſenſim perficiendis tempus non defuit, & in quibus plurimos adeò excellentes fuiſſe legimus, vt earum inuentores vulgò habeantur. Neque ſanè exiſtimandum eſt terram tunc tēporis coluiſſe homines eâ ratione, ijs inſtrumentis, & eo apparatu, quo noſtros videmus agricolas. Neque enim ſtatim adeo numeroſa erat proles & familia, vt totam terram campoſque ampliſſimos coleret Cainus, ſed creſcente paulatim familiâ hominumque numerum augeſcente temporis ſpatio, colere, ſerere, exercere induſtriam & quælibet ſibi vſui præparare homines cæperunt. Sed Cainum *nobiliſſimum omnium hominum, qui Deum auum & terram auiam* habebat, ad has artes minutiſſimas, aliaſque ſordidiores deputatum fuiſſe inconuenientiſſimum ait c. 4. lib. 3. p. 125. vt & Abelum paſtorem ouium & cuſtodem fuiſſe, de quo ait. *Quos fures timere debuerat præter patrem & matrem & fratrem, ſi nulli præterea fuiſſent homines in terris? Ab lupis autem & feris rapacibus, quæ gregem ſuum innaſiſſent, plus Abelo ipſi quam ouibus ſuis timendum fuiſſet.*

Quid hic in conueniens fuerit, quid hiſce hominibus tantopere indignum non video, cum enim binos hoſce liberos ſuſcepiſſet Adam, primogenitum agricolationi, iuniorem verò armentorum & gregis curæ deſtinauit. Reges etiam ſæpè apud poëtas dicuntur ποιμένες λαῶν, quod ſcilicet caput ſint & principium ſuorum hominum: anne idem de Abel dici poteſt, qui cum fratre totius generis humani caput eſſe debebat.

Non certè verſare oues ſolitum, aut à lupis defendere ſcripto quiſquam prodidit. Quaſi verò cuſtodes ouibus ideò tantum præficerentur, ne à belluis vorarentur, neque aliquando id fieret ne in noxias & venenatas herbas incautæ ruerent. Sed reuerâ ſummam in eo voluptatem primi homines reponebant, neque id neceſſitate vllâ impulſi, aut vi quapiam, ſed ſuaptè voluntate oblectamenti loco curam hanc in ſe recipiebant.

Sed ad ea gradũ faciamus quę habentur p.126. eodem cap. & lib. *vrgeamus. A quibus latronibus acceperat Cainus enſem, quo verteret ſanguinem fratris ſui? Item quos timuit Cainus poſtquam intellexit palam eſſe quod patrauerat fratricidium.*

Poterat profectò pari iure quærere quis ei ſtlopum, quis glandes plumbeas, aut pyrium puluerem ſuppeditaſſet? A quibus nugis longè ipſi abſunt poëtæ, quos legiſſe non dubito, ſed oſcitanter. Horat. lib. 1. ſat. 3.

Cum primis prorepſerunt animalia terris
Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Vnguibus & pugnis, fuſtibus, atque ita porrò
Pugnabant armis quæ poſt fabricauerat vſus,
Donec verba quibus voces ſenſuſque notarent
Nominaque inuenere: dehinc abſiſtere bello
Oppida cœperunt munire, & ponere leges
Nequis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.

Ingenuè fateor neſcio quis faber tunc fuerit, quiſue enſem aut gladium Caino exacuerit, vt fratrem interimeret & fraterno ſanguine manus inquinaret. Potetat tamen Cain fratrem ſuffocare, pręcipitem in loca quædam prærupta agere, fuſtibus contundere, vnguibus dilacerare, lapidibus obruere, aut quouis alio modo interficere modo ſanguis effunderetur.

Si Cedrenum iu Breuiar. audiamus ex apocrypho quoddam libro lapidibus ipſum contriuiſſe perſpiciemus. οὗτος ὁ Κάϊν ὡς ἡ λεπτὴ μωσέως γένεσις φησι τῆς οἰκίας πεσούσης ἐπ᾽ αὐτὸν τελευτᾷ, λίθοις γὰρ τὸν ἀδελφὸν ἄβελ ἀπέκτεινε, καὶ λίθοις ὁμοίως καὶ αὐτὸς ἀπεκτάνθη. *Ipſemet Cain vt ſubtilis Moſis Geneſis refert, cadentis domus ruinis innolutus periit lapidibus enim fratrem Abelem occidit, & lapidibus pariter occiſus eſt.*

Neque Cainum timuiſſe adeò vanum putet, poterat quippe à feris & belluis ſibi timere, quod teſtatur Ioſephus lib. I. antiquit. capite tertio. Καὶ τῆς γῆς ἐκείνης ἐκβάλλει αὐτὸν σὺν γυναικὶ, τοῦ δὲ, μὴ θηρίοις ἁλώμενος περι-

ἐπέσῃ δεδιότος. ϗ τοῦτον ἀπολεῖσθαι τὸν τρόπον, ἐκέλευε μηδὲν ὑφορᾶσθαι σκυθρωπὸν ἀπὸ τοιαύτης αἰτίας, *Et ex hac terrâ depulit ipſum cum uxore, eidem verò timenti ne in ferarum poteſtatem veniret eoq; modo interiret, iuſſit* Deus *nihil timeret moleſti ex hac causâ.* Nihil etiam adeò furioſum & vanis actum terroribus quam mens ſibi ſceleris conſcia, culpam enim pœna premit comes. Atque vt res dilucidius explicetur, haſce coniecturas ſi eis locus concedatur adducimus.

Si enim Adam centum & triginta annos natus erat moriente Abel in cuius locum aliam prolem, Seth nimirum ſuſcepit, quid vetat tanto hocce tempore plurimos homines in ſuâ familia numeraſſe Cainum?

Natum eſſe Cainum anno mundi 1. vltrò nobis concedetur, potuit autem (quod nemo incredibile putauerit) ad neceſſariam propagationis humanæ inſtaurationem, ſororem in vxorem duxiſſe anno mundi 18. & liberos omninò octo ipsũ ſuſcepiſſe, atque ita deinceps octo illorum vnumquemque octo alios genuiſſe vſq; ad mortem Abel, prætermiſſis ijs quos Adam tollere potuit, quos Geneſis non commemorat. Hac ratione antequam Abel occideretur in ſolâ Caini ſtirpe erant homines 2396744. an. mundi 126. ſicque

INDICVLVS filiorum Cain.

an. mun.	*num. filior.*
18	8
36	64
54	512
72	4096
90	32768
108	262144
226	2097152
ſumma	2396744.

peccatum poterat eſſe in foribus, idque iure ſibi plurimum timendum eſſe ducebat. Hoc etiã laterculo & ſtirpis Cainicę propagatione vindicatur vir nobilis & eruditus quem nugarum ſuarum fautorem non ſine mendacio aſſumit mythographus, in expoſitione ridicula illius vocis *pro foribus*, ait quippe apud Orientales exerceri in foribus iudicia ſenſu accipiendum putat illud, *peccatum pro foribus aderit*. Sed reuerâ miſſis his ſomnijs & vacui cerebri deliramentis, nil aliud intelligit ſcriptura quam præſentem eſſe pœnam ex horrore fratricidij cuius ſibi conſcius animus magnis terroribus diſtrahebatur, ideoque meritò timebat, ne eiuſmodi ſceleris pœnas & vltionem à ſeipſo repeterent infiniti propè homines in terram tunc effuſi. Alioquin etiam cum Marci 13. verſ. 29. de iudicio extremo hæc verba habentur ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις, dicendum eſſet iudicium fieri in foribus. Et cum à Plutarcho de febri dicitur πυρετοῦ περὶ θύρας ὄντος, dicendum eſſet febrim iudicium exercere in foribus, quæ tamen per tranſennam attingimus, Cain quippe conſcientię ſtimulis premebatur, & ex horrore admiſſi ſceleris quaſi furioſus ſupplicium tanquam pręſens metuebat, quod poterat tamen effugere ad tempus, cum enim diu vixerit poſt 400. aut 500. annos iſtud potuit contingere. Licet enim ſcriptura eodem contextu id narret, non tamen vno die cuncta geſta fuiſſe credendum eſt. Neque etiam cum vrbem condidiſſe ipſum legimus, id debemus

certò aſſerere actum fuiſſe ſtatim atque fratrem interemit, & à Patriâ terrâ exul fugit in Orientem. Mirum ſanè quantas cruces figit vrbis iſtius extructio authori Præ-Adamitarum. *Quibus architectis*, inquit, *& fabris vrbem illam poſuit Cainus*? Verum occurrit S. Auguſtinus lib. 1. quæſt. in Geneſim iiſdemque omnino reſpondet. *Quomodo*, inquit, *Cain potuerit condere ciuitatem, cum ciuitas alicui vtique conſtituatur hominum multitudini; illi autem duo parentes & duo filij fuiſſe referantur: quorum filiorum ab altero alter occiſus eſt, in cuius occiſi locum alius natus eſſe narratur? An ideo quæſtio eſt quoniam qui legunt putant ſolos tunc fuiſſe homines quos diuina ſcriptura commemorat, nec aduertunt eos qui prius ſunt conditi duos vel eos etiam quos genuerunt, tam diu vixiſſe vt multos gignerent, non enim & Adam ipſe eos ſolos genuit quorum nomina leguntur, cum de illo ſcriptura loquens ita concludat quod genuerit filios & filias, &c.*

Et lib. 5. de ciuit. c. 8. *Nunc autem defendenda videtur mihi hiſtoria, ne ſit ſcriptura incredibilis quæ dicit ædificatam ab vno homine ciuitatem eo tempore quo non plus quam viri quattuor, vel potius, tres poſteaquam fratrem frater occidit fuiſſe videntur in terrâ: id eſt primus homo pater omnium & ipſe Cain & eius filius Enoch, ex cuius nomine ipſa ciuitas nuncupata eſt. Sed hoc quos mouet parum conſiderant non omnes homines qui tunc eſſe potuerunt ſcriptorem ſacræ huius hiſtoriæ neceſſe habuiſſe nominare: ſed eos ſolos quos operis ſuſce-*

pti ratio poſtulabat. Et paulò poſt. *Cum igitur ſcriptura diuina vbi & numerum annorum quos illi homines vixerunt, commemorat, ita concludat, vt dicat de illo de quo loquebatur,* & genuit filios & filias, *& fuerunt omnes dies illius, vel illius quos vixit anni tot & mortuus eſt : Numquid quia eoſdem filios & filias non nominat, ideo intelligere non debemus per tam multos annos quibus tunc in ſæculi huius primâ ætate viuebant, naſci potuiſſe plurimos homines quorum coëtibus condi poſſent etiam plurimæ ciuitates*, & paulò poſt, vbi Enochum Caini primogenitum non fuiſſe cenſet, ſubiungit. *Sed cum hominis illius familia tantâ numeroſitate creſceret, vt haberet iam populi quantitatem, tunc potuit vtique fieri vt & conſtitueret, & nomen primogeniti ſui conſtitutæ imponeret ciuitati. Tam longa quippe vita illorum hominum fuit, vt ille memoratorum quorum & anni taciti non ſunt, qui minimum vixit antè diluuium, ad ſeptingentos quinquaginta tres peruenerit, nam plures nongentos annos etiam tranſierunt, quamuis nemo ad mille peruenerit.*

Nihil poſſe reſpondere quemquam accommodatius facilè animum induxerim, potuit nimirum Cain condere ciuitatem quingentis annis poſt exilium indictum quod ideò fieri potuiſſe docet Auguſtinus tum quia multi licet non nominati extiterunt homines in Caini familia, tum etiam quia eorum qui antè diluuium extiterunt nullus pauciores quam 700. & 53. annos vixerit, quæ cum legerem diagramma ſuperius deſcriptum apponendum

eſſe mihi perſuaſi. Anne Critici imperitia ſumma eſſe videtur, quę tamen leuis, eſt ſi ad alia reſpiciamus quę de Caini vxore nugatur. *Quam ergo*, inquit, *vxorem duxiſſe Cainum dicemus, ex qua genuiſſe Enochum nouimus, cum eſſet in orientali plagâ Edeni?* Non adeo difficilis eſt reſponſio, ſororem libenter in vxorem duxiſſe aſſeueramus, quod ex patribus conſtat. Qui vero Sinenſes & Mexicanos & Groenlandos cæterorumq; barbarorum hiſtorias ſectatur, eorumque annales adeò excuſſit, miror vehementet quod etiam Perſarum monumenta non euoluerit, nam in Tarich regum Perſarum Adami filius recenſetur alius ab ijs qui in Geneſi cõmemorantur cuius nomen عبد الحارث Ebdalharits. Sed has profanorum dubias narrationes libententer prætermittimus.

B. Chryſoſtomum orat. 20. in Gen. tom. 1. p. 136. primũ hìc in aciem producimus exploratiſſimũ authorẽ. ἀλλ' ἴσως εἴποι τις ἄν· πῶς οὐδαμοῦ τῆς γραφῆς μνημονευσάσης ἑτέρας γυναικὸς ὁ Κάϊν ἔσχε τὴν γυναῖκα; μή σε ξενίσῃ τοῦτο ἀγαπητέ. οὐδαμοῦ γὰρ θηλειῶν τέως κατάλογον ποιεῖται μετ' ἀκριβείας, ἀλλὰ τὸ ἀπέριττον φεύγουσα ἡ θεία γραφὴ ἐκ μέρους τῶν ἀρρένων μνημονεύει καὶ οὐδὲ αὐτῶν πάντων, ἀλλὰ συντομώτερον ἡμῖν διηγεῖται, λέγουσα ὅτι ὁ δεῖνα ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας, καὶ ἀπέθανεν, εἰκὸς οὖν τὴν Εὔαν καὶ θυγατέρα τίκτειν μετὰ τὸν Κάϊν καὶ Ἄβελ, ἣν εἰς γυναῖκα ἔλαβε Κάϊν, ἐπειδὴ γὰρ προοίμια ἦν, καὶ ἔδει λοιπὸν αὐξηθῆναι τὸ γένος καὶ ταῖς ἀδελφαῖς συγγενέσθαι συνεχώρουν. *Sed fortè diceret aliquis quomodo nullibi facta mentione*

alterius fœminæ in ſcriptura Cain vxorem duxit? Ne te iſtud conturbet cariſſime, non enim ſcriptura fœminarum catalogum accuratè deſcribit, ſed quod ſuperuacaneum eſt fugiens ſacra ſcriptura, maſculorum partim meminit, non autem omnium, ſed breuiſſimè nobis indicat dicens talis ſuſcepit filios & filios & mortuus eſt. Euam igitur oportet filiam genuiſſe poſt Cainum & Abel quam in vxorem ſibi ſumpſit Cain, quoniam vero primitiæ tunc erant, & propagandum erat genus, ſororibus commiſceri licitum erat.

Epiphanius l.1. hær.39. quæ eſt Sethianorum idem cenſet ὅτι δὲ οὗτοι ἔσχον γυναῖκας ὅ τε Κάϊν καὶ ὁ Σὴθ δῆλον. ὁ γὰρ ἄβελ νεώτερος ἀπεκτάνθη μηδέπω γήμας. ὡς δὲ ἐν τοῖς Ἰωβηλαίοις εὑρίσκεται τῇ καὶ λεπτογενέσει καλουμένῃ καὶ τὰ ὀνόματα τῶν γυναικῶν τοῦ τε Κάϊν καὶ τοῦ Σὴθ ἡ βίβλος περιέχει, ἵνα κατὰ πάντα τρόπον οὗτοι καταισχυνθῶσιν οἱ τοὺς μύθους τῷ βίῳ ῥαψῳδήσαντες. τοῦ γὰρ ἀδὰμ γεννήσαντος υἱοὺς καὶ θυγατέρας, ἀνάγκη γέγονε κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἀδελφαῖς ταῖς ἰδίαις συναφθῆναι τοὺς παῖδας· οὐ γὰρ ἦν παράνομον τὸ τοιοῦτον ἐπεὶ μηδὲν ἕτερον γένος ἦν. Καὶ γὰρ καὶ αὐτὸς ὡς ἔπος εἰπεῖν ὁ ἀδὰμ τῇ ἰδίᾳ θυγατρὶ σχεδὸν τῇ ἐκ τοῦ σώματος αὐτοῦ πλασθείσῃ συνήφθη κατὰ συζυγίαν αὐτῷ ἐκ θεοῦ πεπλασμένη καὶ οὐκ ἦν παράνομον. εἶτε τούτου υἱοὶ συνήφθησαν, ὁ μὲν Κάϊν τῇ ἀδελφῇ τῇ μείζονι Σαυῇ οὕτω καλουμένῃ ὁ δὲ Σὴθ τρίτος υἱὸς μετὰ τὸν ἄβελ γεννηθεὶς τῇ λεγομένῃ αὐτοῦ ἀδελφῇ ἀζουρᾷ. *Quod autem ij vxores habuerunt nempe Cain & Seth, manifeſtum eſt. Nam Abel iunior occiſus eſt vxoremque nondum duxerat, vt videre eſt in Iobelæis & ſubtili Geneſi ſic dictæ nominaque vxorum Cain & Seth liber*

comprehendit, vt qualibet ratione pudore ſuffundantur ij qui in eorum vita fabulas confingunt. Cum enim genuerit Adam filios & filias neceſſe fuit tunc temporis natos proprijs ſororibus commiſceri, iſtud enim crimini non dabatur, quoniam non extabat aliud genus, ipſemet etiam vt ita dicam Adam propriæ filiæ vtpote è corpore efformatæ ſeſe coniunxit in eo coniugio quod à Deo ſibi erat indictum, iſtud autem vitio non vertebatur. Ipſi verò liberi ſeſe ſororibus *coniunxerunt, Cain ſorori maiori natu Saue, ita dictæ, Seth verò tertius filius poſt Abel natus ſorori ſuæ dictæ Azuræ.*

Theodoretus etiam quæſt. 43. τίνα ὁ Κάϊν ἔσχε γυναῖκα; *quam nam duxit in vxorem Cain?* δῆλον ὅτι τὴν ἀδελφήν· οὐκ ἦν δὲ τοῦτο κατηγορία, οὐδενὸς ἀπαγορεύσαντος νόμου. ἄλλως τε οὐδὲ οἷόν τε ἦν ἄλλως αὐξηθῆναι τὸ γένος. *Certum eſt ſororem duxiſſe crimen verò tunc temporis non erat, nullâ prohibente lege alioqui neque fieri potuiſſet vt aliâ ratione propagatum fuerit genus humanum.* Ampliſſimè deinde probat coniunctionem iſtam licitam fuiſſe, ſed audiatur B. Auguſtinus quem omnium eruditiſſimè ſcripturam elucidaſſe nemo inficias ierit. *Cum igitur*, inquit, B. Auguſt. lib. 15. de ciuit. cap. 20. *Genus poſt primam copulam viri facti ex puluere, & coniugis ex viri latere, marium fœminarumque coniunctione opus haberet, vt gignendo multiplicaretur, non eſſent vlli homines, ipſi qui ex illis duobus nati fuiſſent viri, ſorores ſuas coniuges acceperunt, quod profectò quantò & antiquius com-*

pellente neceſſitate, tanto poſteà factum eſt damnabilius religione prohibente.

Id ſcilicet poſtea prohibitum eſt vbi genus humanum ita excreuit vt ex remotioribus generationibus vxores haberi potuerint. Abrahami temporibus qui Saram ſororem duxerat nefas fuiſſe ſorores ex altero parente ducere plerique putant è patribus, alijs etiam reclamantibus. Iſtiuſmodi verò copulæ vſus diu apud Perſas viguit, vt conſtat ex Theodoreto 9. Græc. affect. & Scholiaſte Euripidis in Andromache.

Idque exagitat Clemens Alexand. lib. 1. pędag. cap. 8. ὀχεύοντες δὲ ἀδελφαῖς καὶ μητράσι καὶ γυναιξὶ γαμεταῖς τε ἅμα καὶ παλλακίσιν ἀναρίθμοις, *ſe ſororibus commiſcentes, & matribus & mulieribus vxoribus & concubinis infinitis.*

Atque proculdubio poſt tot ampliſſima teſtimonia Diagoram ipſum manus daturũ putamus. Longum verò eſſet & otioſum omnia veterum patrum loca & argumenta hac de re perſequi, ſi tamen his ſubſcribere recuſet vitilitigator, ex alijs eorumdem patrum locis atq; etiam profanorum, cauſæ noſtræ patrocinabimur. Sed antequam caput iſtud impleamus meminerit velim Præ-Adamitarum patronus eorum quę protulit cap. 4. lib. 3. pag. 127. de Ioſepho qui ipſi eſt *Antiquitatis Iudaicæ vindex acerrimus: quique nihil ſcripſiſſe putandum eſt quod non vel fando longinquâ traditione accepiſſet, vel inquirendo lectione accurata didiciſſet.* & lib. 2. cap. 11. pag. 106. *rerum indicarum*

ſcriptorem accuratiſſimum vocat. Voces σολεικοφανεῖς quæ ibi & alibi paſſim leguntur non moror, authorem Grammaticis vapulandum relinquimus non enim mente purior eſt lingua aut correctior. Sed ne tam acriter torqueatur Ioſephum lubenti animo admittimus neque ſi de teſtimonio Ioſephi contra nos adducto conſtabit, de authoritate pugnabimus. Quo verò iure Ioſephi armis nos oppugnat, eodem noſmet tuebimur, atque ex ipſius Ioſephi verbis inſequentibus aduerſarium vrgebimus, cui confidere, (quanquam vt oſtendemus falsò adduxerit) videbatur, vt ex ijs etiam authoribus quibus niti tantisper conatur, Geneſeos veritatem, & vaniſſimarum coniecturarum falſitatem demonſtremus.

CAPVT VI.

Veritas Euangelij de obſcuritate ſolis moriente Chriſto Domino aſſeritur, & cætera miracula ab impiiſſimis conatibus vindicantur.

QVICVNQVE hactenus effractis pudoris & humanitatis repagulis Eccleſiam Dei oppugnare auſi ſunt athei, ib ſibi primum propoſuerunt negotij, vt miracula quibus innititur Chriſtiana Religio, aut è medio prorſus tollerent, aut ſaltem quoquo modo eleuarent. Non alio conſilio P. Pomponatius in ſua de

immortalitate animæ præfatione inſinuat ſe rem aggredi ſepoſitis miraculis & ſemotâ reuelatione, quam vt hoc quaſi deſtructo fundamento, animę humanæ corruptionem inuehere, peſſumdare chriſtianiſmum, religionemque omnem poſſet ſubuertere. Quo autem animo ſcriptorem nuperum illuſtria quędam ex ſcripturâ miracula impudentiſſime ſugillare dicemus? Solarem Eclipſin quæ patiente Chriſto Domino & pro recuperandâ omnium ſalute voluntarias crucis ſupplicio pœnas luente contigit, in Iudęa tantum viſam fuiſſe contendit. Stellam quæ eius ex Virgine ſanctiſſimâ ortum comitata eſt, negare velle videtur, miraculum de ſolis retroceſſione ægrotante Ezechiâ in horologio tantum Achaz ait contigiſſe, vt & alterum de ſtatione ſolis miraculum in Gabaon reſpuit. De non attritis etiam veſtibus Iudæorum in deſerto miraculum exſibilat, vt & aquæ à Deo Moſis precibus impetratæ. Quæ omnia è ſuo cerebro neque ex vllius authoris idonei authoritate depromit, & nobis intemperanter illudit. Conſentaneum nempè erat vt qui ſemel de Pentateucho dubitare impiè videbatur, de cæteris etiam veteris teſtamenti partibus, atq; etiam ipſomet Euangelio pro ſuâ præcipiti temeritate immania quædam ſomniaret, & ſolemnia paſſim deliraret.

Atque vt reſpondeamus non propter hominem quo nullus aut inſulſior aut indoctior in hocce litteraturę genere eſſe poteſt, ſed tum

ob rei magnitudinem, tum vt cognoſcat quam infeliciter & imperitè verſatus ſit, in ſacrâ non modo ſcripturâ quam penitus ignorat, ſed etiam vt in euoluendis profanorum libris parum ſe verſatum intelligat, in quibus tanti momenti hiſtoriam, caſumque orbi vniuerſo ſpectatum diſcere potuiſſet.

Nos verò trium Euangeliſtarum teſtimonio aſſentimur grauibus ijs teſtibus & exploratiſſimis, quibus dare manus nemo Chriſtianus vnquam repugnauit. Solem tenebris obductum, & velatum ſpectante orbe vniuerſo aſſeueramus, quod intelligi debere de ijs locis quibus lumen ſuum Sol præbebat, nemo non videt. Quæcunque enim nationes nocte obuoluebantur, ijs nocturnę caliginis tenebræ tam funeſti ſpectaculi viſum ademerunt. S. Matth. hiſtoriam omnẽ his verbis narrat. c. 27. verſ. 45. *A ſexta autem horâ tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam.* S. Marcus cap. 15. verſ. 33. *Et factâ horâ ſextâ tenebræ factæ ſunt per totam terram vſque in horam nonam.* S. Lucas cap. 23. verſ. 44. *Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram vſque in horam nonam.* Quid ad huiuſce rei veritatem comprobandam manifeſtius? quid accommodatius dici vnquam potuit? eodem nempè ſpiritu ſanctiſſimi agebantur Euangeliſtę in rei peractæ recenſione, quo Amos in ipſiuſmet futuræ prophetiâ afflabatur, c. 8. v. 9. *Et erit*, inquit, *in die illa dicit, Dominus Deus occidet Sol in meridie & tenebre-*

ſcere faciam terram in die luminis. Sed qui tres Euangeliſtas impiè deridet, quid ad Amos Prophetiam diceret? Quos *melioris notæ interpretes* adduceret præter tres eximios Chriſti præcones, & ſanctiſſimum Prophetam?

Mitto ſanctorum Patrum interpretationes & conſenſum in re tam perſpicuâ: mitto item dicere quæ nullus neſcit de B. Dionyſio Areopagitâ, qui cum Apollophane tunc temporis in Ægypto verſabatur, cum iſtud contigit, & vbi veræ religionis ſplendor oculos perſtrinxit Apollophani adhuc Ethnico & conuitianti obijciebat epiſt. 7. quæ eſt ad Polycarpum Smyrnenſem Epiſcopum in Aſiâ. Atque in huius epiſtolę Paraphraſi Georg. Pachymeres ex ſententiâ B. Dionyſij ait οὐδεὶς ἐστὶ τῶν ὁρώντων τὸν ἥλιον, ὃς οὐκ ἐκεῖνο θεάσαιτο, εἰ μέντοιγε διαπιστήσει ὁ ἀπολλοφάνης περὶ ταῦτα, οἱ Πέρσαι μαρτυρήσουσιν. *Nullus ex ijs quibus Sol lucebat huius rei ſpectator non fuit, ſi verò hæc negauerit Apollophanes, Perſas habebo teſtes.*

Verum Patres omnes deliranti critico *Turba* ſunt *Theologorum melioris notæ habet interpretes.* Cuius tamen ſint generis ignoramus eorum nobis ab ipſius humanitate (ſi qua ſuperſit) copiam fieri ſperamus, aut ſaltem ſi lucem adſpexerunt hos authores & locos nobis indicabit.

Scimus Origenem in ea aliquando fuiſſe ſententia, verùm fidem ipſi hac in re prębere ſpreta Euangelij luce nemo Chriſtianus audebit. Quod hic innuimus quo appareat nouum non eſſe iſtud cōmentum de quo poſſet forſan

gloriari criticus, ſed à veteribus quibuſdam iampridem excogitatum.

Sed vt quauis ſponſione delirum ſenem premamus, & veritatis hoſtem demonſtremus, profanorum teſtimoniis vtemur quibus potius credet quam Euangelio. Recepta quippe eſt apud gentes omnes & ethnicos ſententia tantam vim Soli ineſſe, tantam huius eſſe ſyderis magnitudinem, tantumque ſcelerum quorumlibet odium, vt impijs facinoribus perpetrandis ſplendorem ſuum ſoleat occultare, lumen ſuum ſubtrahere, & neſcio quid portentoſum ominari, vel in vrbium excidijs, prouinciarum direptione, vel etiam in morte Heroum, quod in I. Cæſaris morte factum Auguſto inſinuat Virgilius Georg. I. licet tunc eclipſis non contigerit, ſed oſtentum quoddam viſum ſit in Sole.

Cum caput obſcurâ nitidum ferrugine tinxit
Impiaque æternam timuerunt ſæcula noctem.

Nec aliter Ouid. lib. 15. Metamorph.

Solis quoque triſtis imago
Lurida ſollicitis præbebat lumina terris.

Lucanus.

Ipſe caput medio Titan cum ferret Olympo
Condidit ardentes, atrâ caligine currus
Inuoluitque orbem tenebris, genteſque coëgit
Deſperare diem, qualem fugiente per ortus
Sole, Thyeſteæ noctem duxere Mycenæ

Seneca in Thyeſte *O! nos durâ*
Sorte creatos, ſeu perdidimus
Lucem miſeri, ſiue expulimus.

Quoties enim tenebræ & oſtenta eiuſmodi videbantur timebant ne perpetuò remanerent, vnde ad eorum aſpectum contremiſcebant, quo ſenſu Virg. Georg. 2.

Defectus Solis varios lunæque labores
Vnde tremor terris.

De his infinita ſunt apud profanos Authores, Poëtas potiſſimum, & hiſtoricos: Putabant nimirum nullum ſcelus admitti poſſe in cuius horrorem ſydera velut in ſcelus eruptura, oſtento quodam rei odium teſtarentur. Quod adeo certum compertumque habere puto authorem nuperum vt facile animum induxerim ipſum noctu aut in ſpelæis lociſve ſubterraneis monſtrum illud Præ-Adamitarum procudiſſe, veritus, ne ſi interdiu iſtud egiſſet, ſol in tam horrendi monſtri abominationem lumen ſuum ſubtraxiſſet.

Habemus etiam chronologos nonnullos è profanis à quibus extorquere huius rei veritatem poſſumus. Phlegontem ſcilicet Adriani libertum & olympiadum computatorē egregiū. τῷ δευτέρῳ ἔτει, inquit, τῆς σβ´ ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον, καὶ νὺξ ὥρᾳ ϛ´ τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι, σεισμός τε μέγας κατὰ βιθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ τῆς νικαίας κατεστρέψατο. *Anno ſecundo CCII. olympiadis contigit eclipſis ſolis maxima omnium quæ prius obſeruatæ ſunt, noxque facta eſt horâ ſextâ diei, adeo vt ſtellæ apparerent in cœlo, terræ motus etiam magnus qui in Bithynia contigit multa Nicææ* ædificia *ſubuertit.*

Inſignis ille Chronographus atque ab ipſomet Origene laudatus rem non potuit accuratius deſcribere, contigit enim Chriſti Domini paſſio anno 2. inchoato olymp. CCII. coſs. Tiberio quintum & Seiano, anno periodi Iul. 4744. Chronographum alium citat Euſebius quem non nominat ὁ ἥλιος ἐξέλιπε βιθυνίᾳ ἐσείσθη, νικαίας τὰ πολλὰ ἔπεσεν. *Sol deliquium paſſus eſt Bithynia terræ-motu concuſſa eſt Nicææ multa corruerunt.* Anonymũ iſtũ Thallum fuiſſe conjicimus de quo meminit Affricanus his verbis. τοῦτο τὸ σκότος ἔκλειψιν ἡλίου Θάλλος ἀποκαλεῖ ἐν τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ ἀλόγως. ἑβραῖοι γὰρ ἄγουσι τὸ πάσχα κατὰ σελήνης ΙΔ πρὸ δὲ μιᾶς τοῦ πάσχα τὰ περὶ τὸν σωτῆρα συμβαίνει *Has tenebras Solis eclipſin vocat Thallus, tertio hiſtoriarum abſque vlla ratione vt mihi videtur. Nam Hebræi paſcha celebrant Luna* 14. *pridie verò paſchatis contigerunt, quæ ad Saluatorem ſpectant.*

Etſi verò à citandis patribus abſtinendi legem mihi ipſe tulerim vnum tamen addam ex Tertulliano, ad quod ſi animum & mentem appuliſſet Nugator, ab infinitis propemodum erroribus abſtinuiſſet. Locus eſt inſignis apologetici cap. 21. qui omnem dubitandi occaſionem præripere videtur. *Eo momento*, inquit, *Dies medium orbem ſignante ſole ſubducta eſt; Deliquium vtiq; putauerunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſcierunt. Et tamen eum mundi caſum relatum in archiuis veſtris habetis.* Vt autem tot teſtimoniorum ratio aliqua habeatur, ſi homines longiſſimis

locorum interuallis ſeparati, ſi locis quamuis diſiunctiſſimę nationes, & interiacentis maris fluctibus diſſitæ, deliquium iſtud accuratè obſeruauerunt, ſi Chronographi & peritiſſimi Aſtrologi nullius loci addito nomine, ſi maximum omnium, quę antea viſa ſunt deliquium contigit, ſi apud Romanos ipſos in tabularia iſtud relatum eſt, quî fieri poteſt vt Iudęæ vnius fuerit ſpectaculum? Neque alibi quã in Iudæa tenebrę contigerint? Tenebras verò dicimus non enim adeo rudes ſumus & imperiti Aſtrologię aut temporum vt veram eclipſin ex Lunę ἐμπτώσεως contigiſſe, dicamus, Luna tunc erat τεσσαρεσκαιδεκαταία, quo tempore nulla fit ſyderis illius ἔμπτωσις nullaque ideo eclipſis in Sole quæ tantum contingit circa neomeniam, erat autem plenilunium. Cõmiſſum enim fuit nouilunium vernum in meridiano Hieroſolymitano Martij 12. Fer. 2. hora 7. 51. *min.* 12. *ſec.* Non igitur ſolaris erat eclipſis ſed obſcurum neſcio quid portentoſum & incognitum viſum eſt in Sole, quo nimirum oſtento myſterio hominibus ignoto & imperuio ad tam horrendum ſcelus ſcelerumque ſupremum, lumen præbere Sol non dignatus eſt, tam nobilis quippe Dei creatura in ipſo veræ lucis occubitu lucere non potuit, & tanto horrori, quaſi luctu & mœrore confecta lucem ſuam ſubduxit.

Sed nimius ſum in ijs refutandis quę nulla ratione fulciuntur nulloque innituntur fundamento, & quę ſolo deſpectu refellere ſatis ſuperque foret. Quid etiam ex illa tenebra-

rum negatione ſequetur anne confectum erit negotium probatum ne fuiſſe Præ-Adamitas? Summa adhuc ſtupiditas eſt in ijs quę de ſtella Magis tantum lucente nugatur, ſed audiamus ipſam belluam ſua verba grunnientem c.3. l.4. pag. 186. *Accedat huc ſtella illa, quæ Magis apparuit in natiuitate Domini; quamque vulgare & tralatitium eſt cœlo inter alias poſuiſſe. Quod nuſquam fuiſſe, & nuſquam fieri potuiſſe vincitur his argumentis. Vidiſſent nempè illam in cœlo cæteri homines præter magos, vidiſſet illam interprimos Herodes.* Neſcio quid ad hæc verborum monſtra obmurmurantes audio grammaticos, ſed monſtroſiora ſunt adhuc quæ inſolenter vult exprimere. Quam verò abſurdè ſuis argumentis vtitur! Quis enim ſani cerebri ea cogitauerit quæ proferre hunc tenebrionem non pudet, ſtellam nempè videbant quicunq; Aſtrologiæ periti rerumq; cœleſtiũ contemplationi vacabant. Si verò ex hominibus nonnulli ipſam non viderunt, ij ſcilicet qui latifundia iungunt latifundijs, qui vnum mundum & ſæculi fructus ſapiunt, quoniam oculos habent in terrâ defixos ſtellam hanc videre non potuerunt. Cunctos tamen illius ſpectatores fuiſſe multa fidem faciunt, eruditos quippe ſua diuturnitate perterruerat, Regeſque ipſos inſolito ſyderis aſpectu conſternatos ingenti metu perculerat. In confeſſo enim eſt apud populos omnes eius generis ſtellas, necnon cometas nouum quidpiam portendere, vel noua imperia, vel regnorum

inopinatas mutationes vel aliquid ſimile *& terris mutantem regna cometen.*

Quodnam verò ſubeſſe poſſit dubium hac in re non video. Deus ipſe præpotens qui per tot continuatas annorum ſeries populum Iſraëliticum per deſertas Arabum regiones vagantem, ignea columna per noctem, nubiſq; columna per diem duxit & ſeruauit incolumem idem ipſe eiuſce ſtellæ ſigno, aſſiduâque noui ſyderis diuturnitate ſapientum animos in ſe conuertit, & ad præſepe Chriſtum Dominum adoraturos perduxit. Chriſtus Dominus qui ſaluandis omnibus venerat, ſui aduentum omnibus teſtatum voluit, & gentem vnamquamq; captauit occaſione rerum quibus ſummoperè delectabatur, quibuſq; confidebat. Magos hoc eſt homines Aſtronomiæ peritiſſimos ſtellæ peculiari luce fulgentis indicio attraxit, vt Græcos poſteà quibus de ſua eruditione gloriantibus Paulum miſit eloquentiâ pollentem & appoſitum ad congrediendum cum Philoſophis.

Sed vt è patribus aliquid libare liceat ad huius rei veritatem confirmandam, vnum adducimus ſanctum Ignatium Apoſtolorum amicum & coætaneum epiſt. ad Epheſios. Καὶ ἔλαθεν τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου ἡ παρθενία Μαρίας, καὶ ὁ τοκετὸς αὐτῆς, ὁμοίως καὶ ὁ θάνατος τοῦ κυρίου, τρία μυστήρια κραυγῆς, ἅτινα ἐν ἡσυχίᾳ θεοῦ ἐπράχθη· πῶς οὖν ἐφανερώθη τοῖς αἰῶσιν; ἀστὴρ ἐν οὐρανῷ ἔλαμψεν, ὑπὲρ πάντας τοὺς ἀστέρας, καὶ τὸ φῶς αὐτοῦ ἀνεκλάλητον ἦν, καὶ ξενισμὸν παρεῖχεν

ἡ καινο-

ἡ καινότης αὐτοῦ, τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἄστρα ἅμα ἡλίῳ καὶ σελήνῃ χορὸς ἐγένετο τῷ ἀστέρι· αὐτὸς δὲ ἦν ὑπερβάλλων, τὸ φῶς αὐτοῦ ὑπὲρ πάντα· ταραχή τε ἦν πόθεν ἡ καινότης ἡ ἀνόμοιος αὐτοῖς, ὅθεν ἐλύετο πᾶσα μαγεία· καὶ πᾶς δεσμὸς ἠφανίζετο κακίας, ἄγνοια καθῃρεῖτο, παλαιὰ βασιλεία διεφθείρετο, θεοῦ ἀνθρωπίνως φανερουμένου εἰς καινότητα ἀϊδίου ζωῆς. *Fugit autem principem huius ſæculi Mariæ Virginitas partuſque ipſius, ſicut & mors Domini, tria grandia myſteria quæ in Dei ſilentio peractæ ſunt. Quomodo igitur orbi manifeſtatus eſt? ſtella in cœlo refulſit præ omnibus ſtellis, & lumen ipſius erat ineffabile, ſtuporemque iniecit eius nouitas; cætera verò Aſtra ſimul cum Sole & Lunâ ſtellam comitata ſunt, ipſa autem excellebat & lumen ipſius alijs prælucebat. Extitit autem tumultus, vnde eius nouitas alijs diſſimilis: Ex hac Magia omnis diruta eſt, & omne nequitiæ vinculum diſruptum eſt, ignorantia ablata, vetus regnum euerſum eſt Deo humanitus apparente in nouitatem vitæ æternæ.*

Quæ de retroceſſione ſolis in horologio Achaz balbutit falſiſſima ſunt, nam Babylonij Ezechiæ legatos miſerunt qui regis mentē de hoc prodigio explorarent, ſi verò in horologio tantum Achaz retroceſſiſſet Sol quomodo Babylonij iſtud obſeruaſſent? Quod ſpectat ad ſtationem in Gabaon, iſtud quoniam nullâ ratione defendit, neque alijs argumentis quam ijs quæ in Cadurcorum montibus ſomniauit hæc lubens prætereo vt ad alia transeamus de non attritis Iudæorum veſtimentis in

deſerto. Si verò eius verba impietatem & blaſphemiam ſpirantia addidero ineptijs eiuſmodi & calumnijs fidem omnem derogaſſe ſperauerim. Is pag. 198. lib. 4. cap. 5. *Obtrectabunt*, inquit, *ſcilicet coniecturis meis, atque illas tanquam male natas infamabunt: quæ nebulas verbis ſacris ſpargere prætendant, vbi tam clarè & ſine ambage loquuntur: Solem edicente Ioſue, ſtetiſſe in medio cœli nec non Iſaia precante reuerſum decem lineis. Nimirum illi ſunt quibus religioſum & diuinum inprimis eſt quidquid non creditur: & quo magis in credibilia hæc ſanctiora apud illos reputantur miracula: tum (quod & ipſum monſtrum eſt) quo magis ſuperant fidem hoc magis fidem illis adhibent. Fateor autem ingenuè me nomen non profiteri meum inter abnormes miraculorum aſſertores, qui rationem omnem denormant. Rationalis ſum, & rationi conueniens nihil à me alienum puto. Miracula illa Ioſuæ & Iſaiæ credo: Deumque in illis maximè veneror. Sed non illa credo maiora veris, & rationi congruis*. Et lib. 3. cap. 1. pag. 109. *Faceſſant ergo hinc miracula incompoſita & malè conciliata, quæ ſibi illi fingunt qui ad fidem otioſam recurrunt & non neceſſariam Dei omnipotentiam. Hoc illi proficiunt vt cum omnia ſine delectu credant nihil illis credatur, vbi enim ratio tota eneruatur, ibi cadit tota fides.*

Atque ex his diſcet lector quam impiè ſentiat quam peſtilenter de miraculis ab omnibus ferè hactenus receptis loquatur, quam audacter contra Regum hiſtoriam, librum Ioſue

& Deuteronomium: ſua putida commenta nobis obtrudere nititur : Religioſus tamen haberi vult & veritatis indagator eximius, qui tamen prodigus tantum mendaciorum congerro miruſque fabularum artifex cenſendus eſt. Non puduit etiam authorum omnium cenſorem hic agere qui Iudæos aquæ penuria premi in deſerto teſtantur. Et quoniam Ioſephum (quamquam falsò) nobis oppoſuit eundem illi adducimus lib. 2. contra Apionem pag. 940. ed. gr. Frob. καίτοι πῶς οἷόν τε τοὺς αὐτοὺς καὶ τεσσαράκοντα μένειν ἡμέρας ἐν ἐρήμῳ καὶ ἀνύδρῳ τόπῳ, καὶ τὴν μεταξὺ πᾶσαν ἐν ἡμέραις ἓξ διελθεῖν; *Qui enim fieri poſſet ipſos manſiſſe quadraginta dies in loco deſerto & aquarum ſterili, locumque hunc diebus ſex prætergreſſos fuiſſe?* Nugabatur quippe Appion diebus ſex omnes in Iudæam redijſſe Moſenque in monte Sina 40. dies ocultatum deſcendiſſe, ac legem tradidiſſe Iudæis. Idē adhuc Ioſeph. eod. li. p. 945. ἐκεῖνος γὰρ τοὺς προγόνους ἡμῶν, ἐπειδὴ περ ἔδοξεν αὐτοῖς τὴν αἴγυπτον ἐκλιποῦσιν ἐπὶ τὴν πάτριον γῆν ἐπανιέναι, πολλὰς τὰς μυριάδας παραλαβὼν ἐκ πολλῶν καὶ ἀμηχάνων ἔσωσεν εἰς ἀσφάλειαν, καὶ γὰρ τὴν ἄνυδρον αὐτοὺς καὶ πολλὴν ψάμμον ἔδει διοδοιπορῆσαι, καὶ νικῆσαι πολεμίους, καὶ τέκνα, καὶ γυναῖκας καὶ λείαν ὁμοῦ σώζειν μαχομένους. *Ipſe enim* (de Moſe loquens) *maiores noſtros poſtquam Ægyptum deſerere & in patriam terram redire viſum eſt, multa millia colligens, eoſque infinitis caſibus ereptos in tuto locauit : oportebat enim per regionem ſiccam tranſire ſine aqua, & multum arenæ prætergredi, ho-*

ſtes debellare, & pugnando liberos, vxoreſque & opes conſeruare. In quibus verbis intereà attendat velim Præ-Adamitarum parens multa dici hominum millia, ne iſtud incredibile ei forſan videatur.

Sed huius rei veritatẽ oſtendemus adhuc ex Cornelio Tacito ethnico ſcriptore & Chriſtianos infenſiſſimo odio proſequente qui licet iſtud Cynico dente detorqueat, inter anguſtias tamẽ & difficultates quibus in deſerto conſtringebantur Iſraëlitæ, ſummam itineris huiuſce difficultatem in aquæ inopiâ reponit qua adeo laborabant Iudæi, vt penè ſuffocarentur neque procul exitio abeſſent. Is igitur lib. 5. hiſt. ſtatim ab initio hæc habet loquens de Iudæis. *Sic conquiſitum collectumque vulgus poſtquam vaſtis locis relictum ſit: Cæteris per lachrymas torpentibus, Moſen vnum exſulum monuiſſe, nequam deorum hominumve opem expectarent ab vtriſque deſerti, ſed ſibimet vt duci cœleſti crederent, primo cuius auxilio credentes, præſentes miſerias pepuliſſent. Aſſenſere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æque quam inopia aquæ fatigabat. Iamque haud procul exitio totis campis procubuerant: cum grex aſinorum agreſtium è paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Secutus Moſes coniectura herbidi ſoli largas aquarum venas aperit. Id leuamen, & continuum ſex dierum iter emenſi, ſeptimo pulſis cultoribus obtinuere terras, in quibus vrbs & templum dicata ſunt. Moſes, quo ſibi in poſterum gentem firmaret, nouos ritus contrarioſque*

cæteris mortalibus indidit. Notandum hic Ioſephum teſtem omni exceptione maiorem vt fatetur miraculorum ridiculus oppugnator, inter difficultates quas paſſuri erant Iſraëlitæ, primam & potiſſimam numerare, quod *ἀνύδρων ἔδει διοδοιπορῆσαι per loca arida & aquis vacua tranſituri erant.* Idemmet etiã teſtatur hic Cor. Tacitus ſcriptor prophanus; Quanam igitur ratione ſtare poterunt quæ hypercriticus habet lib. 4. cap. 6. pag. 201. *Potuerunt ſiquidem Iudæi ſitire in deſerto: ſed aqua eis non defuit: quâ ſitim ſuam ſedarent.* Hæc & alia eiuſdemmodi innumera per ſeſe deſtruuntur ſuumque authorem ſannis & cachinnis excipiendum relinquunt: quæ tamen à Republicâ Chriſtiana ob impietatem & præcipitem audaciam procul amandare ſummoperè enitendum eſt.

Capvt VII.

Diluuij Noacici hiſtoria recenſetur, Geneſis textus excutitur, heſterna deliria refelluntur.

Sacri teſtantur codices Adami poſteros in omne flagitiorũ genus effuſos, ſupremi numinis iram & animaduerſionem in ſe conuertiſſe: Deumque gentem profligatiſſimam & omni ſcelerum genere contaminatiſſimam

diluuij inundatione, (paucis ijſque iuſtis exceptis)perdere decreuiſſe, vniuerſoſq; tandem orbis incolas effuſis vndequaque diluuij aquis obruere. Quod adeo certum fuit & inconcuſſum hactenus vt vix vllus Chriſtianorum id in dubium reuocauerit; vnde mirari ſubit proiectam nuperi ſcriptoris audaciam qui intemperanter & inſcitè contra euidentiſſima ſcripturę teſtimonia, populorum omnium conſenſum, & quod ſumma impietas eſt, contra eiuſdem ſcripturę interpretationes à SS. Patribus piè & eruditè concinnatas, diluuium in terras omnes effuſum pernegare, Iudæamq; vnam obruiſſe contendit. Sed Deus bone! quibus rationibus? quibus argumentis? more ſuo nempè & ſolitâ illâ confidentiâ, falſa pro veris & dubia pro certis nullo diſcrimine effundit, noſque putidis ſuis commentis vbiq; adſtringere inualido tamen conatu nititur, cum enim ait ſcriptura Gen. 6. verſ. 7. *Delebo hominem quem creaui à facie terræ ab homine vſque ad animantia, à reptili vſque ad volucres cæli pœnitet enim me feciſſe eos.* Per hominem Iudæos tantum vult intelligi, per animantia Gentiles per terram Iudęam, vbi enim inquit ſcriptura terram indiſtinctè nominat, Iudęam intelligit. Egregiam ſanè interpretationem, & eo dignam homine qui ſectam è ſuo cerebro exprompt am nobis vellet inducere, ſed quonam authore iſtud ait quoſnam ſequitur è Patribus? Non enim ſtupidi adeo ſumus, vt eiuſmodi Prophetis & opilionibus aſſentire

imprudenter non dubitemus. Eius generis plurima ſunt quæ ad nauſeam vſque recoquit, cum tamen vno eodemque verſu erroris & ſtupiditatis facillimè conuinci poſſit.

Cum enim v. 14. cap. 4. ait Cain *Eijcis me è facie terræ.... & ero profugus in terrâ.* Quid dici poteſt abſurdius quid inſipidius quam per illud *à facie terræ*, Iudæam, & per aliud *in terra* cęteras orbis partes intelligere? vbicunque enim terra ἁπλῶς nominatur Iudæam vult intelligi, at in poſteriori etiam loco terra tantum habetur. Sed abſque vllo iudicio hæc imperitè oggannit. Etenim cum legitur *omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram, dixit ad Noë finis vniuerſæ carnis venit coram me, &c.* Et *ecce ego adducam aquas diluuij ſuper terram & interficiam omnem carnem in qua ſpiritus vitæ eſt ſubter cœlum, vniuerſa quæ in terra ſunt, conſumentur*, & cap. 7. verſ. 4. *Delebo omnem ſubſtantiam quam feci de ſuperficie terræ.* Nonne his in locis per carnem vniuerſos homines intelligit? non modo qui in Iudęa ſed omnes qui ſubter cœlum erant, omnes quos creauerat Deus. Quęnam hic poteſt ſubeſſe obluctandi occaſio? res enim per ſeſe manifeſta eſt, adeò vt ſolum indigeat lectione capitum 7. 8. & 9. Cum verò ſcriptura narrat cap. 7. verſ. 19. *Opertique ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cœlo.* Anne aliud quidpiam quam orbem vniuerſum ſubindicari vllus ſuſpicabitur? Cum enim *omnes* dicat ſcriptura & *vniuerſos* nullum puto excipit, ſed nuperis commentis eripit

omne ſubterfugium. Lepidum ſanè commentum! Nam ſi Iudæa tantum inundata intelligatur, non leue vt puto ſequetur incommodum, fingendum namque erit aquas hoc eſt aquarum molem vægrandem, ad montis inſtar aſſurrexiſſe vt Iudæos obruerent cæteraſque nationes intactas relinquerent & incolumes. At iſtud nobis nunquam concedetur, id enim fieri abſque miraculo non poſſe certiſſimum eſt, miracula autem adeo inſectatur ſuis blaſphemijs impudens ſycophanta vt nulla admittere prorſus videatur: Atque etiam quod ſummoperè attendendum eſt ſcriptor nullus id teſtatur, quod certè non tacuiſſet diuinus ſcriptor Moſes, ſi quid ſimile contigiſſet miraculum; Qui enim miraculum maris rubri induas partes longè poſtea adeò diuiſi, vt ſicco pede tranſierint Hebręi Ægyptia corũ regum iugo ſoluti deſcripſit poteriſq; diligenter cõmiſit. Exod.4. quorſum hoc in caſu tam celebre miraculum premi ſilentio pateretur? Præterea Cainus cuius ſtirpem perditiſſimam hocce diluuio abſorptam fuiſſe indubitatum eſt apud Patres & interpretes omnes, hanc cladem effugere potuiſſet, incertumq; nunc eſſe poſſet anne ex hac impia Caini familia procreati eſſemus, qui longiſſimis locorum interuallis à Iudæa diſiuncti ſumus, & ijs in locis viuimus in quos confugiſſe diluuij metu potuiſſet Cainus. Qui certè vt à patria procul exulabat & orientalem tamen verſus plagam cladem hanc effugere atque etiam nihil incom-

com-

commodi ex hac eluuione accipere potuiſſet.

Adde volucres pro ſuâ pernicitate diluuio ſuperfuiſſe ſi nupera ſomnia audirentur; vndis quippè ſenſim intumeſcentibus, vbi quò pedes figerent non datum eſt, quidni aquas illas traieciſſent, atque in vicinas terras certatim conuolaſſent? Quod etiam belluę omnes cæteraque animalia hominesque ipſi pòtuiſſent ſecuritatis & ſalutis ſpe præſtare. Verum longè aliter Moſes cap. 7. verſ. 23. *Et deleuit omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram, ab homine vſque ad pecus, tam reptile quam volucres cœli & deleta ſunt de terrâ.*

His addimus (ſi graue non fuerit) B. Chryſoſtomum magnum illud lumen & columen orientalis Eccleſiæ orat. 25. in Geneſ. pag. 191. ὑψώθη γάρ φησιν ἐπάνω τῶν ὀρέων πεντεκαίδεκα πήχεις τὸ ὕδωρ· οὐχ ἁπλῶς ἡμῖν ταῦτα διηγεῖται ἡ θεία γραφὴ, ἀλλ' ἵνα μάθωμεν ὅτι οὐ μόνον ἄνθρωποι καὶ κτήνη καὶ τετράποδα καὶ ἑρπετὰ ὑποβρύχια γέγονεν, ἀλλὰ καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ὅσα ἐν τοῖς ὄρεσι διητᾶτο θηρία λέγω καὶ ἕτερα ἀλογα ζῶα. *Eleuata eſt inquit, aqua quindecim cubitis ſupra montes. Non fruſtra hæc nobis ſacra ſcriptura connotat, ſed vt diſcamus, non ſolum homines, pecora, quadrupedia & reptilia demerſa fuiſſe, ſed etiam volatilia cœli, & quæcunque in montibus diuerſabantur, feras dico & cætera ratione carentia animalia.* Infinita poſſem hic adducere quę ſanctorum Patrum paginas implent, ſed ab his nunc abſtineo vt ad alia tranſeamus.

Ioſephum nobis opponit lib. 2. contra Appionem extollentem *Beroſum qui de arca ſcripſit in qua generis noſtri Princeps ſeruatus eſt, noſtri*, ait, *ideſt Iudaici, non autem totius generis humani.* Poſſem hic patroniclientem Præ-Adamitarum in ius vocare vtpotè præuaricatorem, nam lib. 2. contra Appionem ne verbum quidem habetur de Beroſo aut de diluuio, frontem hic & pudorem vt alibi cogor deſiderare in eo homine qui Authores vulgatiſſimos perperam adducit, quod imperiti non modo omnino eſt hominis, ſed mala fide agentis. Sed clementer & humaniter cum ipſo agimus, monemuſque adeat & diligenter legat, lib. 1. contra Appionem. Et vt quauis ſponſione cum ipſo contendamus Adamum primum fuiſſe hominum facile eſſet demonſtrare ex ipſomet Ioſepho. Quod licet probauerimus addemus hic duo loca Ioſephi. Primum lib. 1. antiq. cap. 3. pag. 6. ed. gr. Frob. ἄδαμος δὲ ὁ πρῶτος ἐκ γῆς γενόμενος, *Adamus verò primus è terra factus.* Secundum lib. eodem cap. 4. pag. 7. χρόνος δὲ οὗτος ἀπὸ ἀδάμου τοῦ πρώτου γενομένου ἐτῶν ὑπῆρχε δισχιλίων ἑξακοσίων πεντήκοντα ἕξ. *Tempus verò iſtud ab Adamo primo hominum extitit bis mille ſexcentorum & quinquaginta ſex annorum.*

Argumentum aliud à Columbâ ducit quod toto capite 8. lib. 4. partes in omnes verſat, aitque columbam à Noë emiſſam & oliuæ ramum gerentem vbi reuerſa eſt, non aliorſum oleam potuiſſe auellere adeo virentem, quam

ex ijs locis qui diluuio inacceſſi fuerunt, extra Iudæam ſcilicet, fieri enim non poſſe ait, vt anno emenſo, terrâque perpetuò aquis obrutâ oleæ vireſcerent adhuc, nec limo & ſquallore obſitæ emarceſcerent. Iſtud ei adeo inſolens videtur vt potius quidquid volueris ei probaueris quam oleam in aquis diluuij virentibus folijs remanſiſſe. Egregium verò argumentum, & fœlix coniectura! qua incredibile putat oleæ folia non emarcuiſſe. An hæc ioco aut ſeriò dicantur non video, putò tamen nugacem hominem nobis fucum facere & verba dare voluiſſe: Euoluantur rerum naturalium ſcriptores, excutiantur quotquot authores plantarum & arborum hiſtoriam conſcripſerunt: oleam ſemper vireſcere ramoſque vireſcentes ſemper nec emarceſcentes conſeruare omnes teſtabuntur. Neque etiam id ignorant Poëtæ, Ouidius quippe vocat *Ramum ſemper frondentis oliuæ.*

Euoluatur Plinius lib. 16. vt & author Geoponicon lib. 11. cap. 1. δένδρα, ἀειθαλῆ τὰ μηδέποτε φυλλοῤῥοῦντα, ἐν τῷ χειμῶνι δεκατέσσαρα, φοίνιξ, κίτρον, στρόβιλος. δάφνη, ἐλαία, κυπάρισσος πίτυς, κερατέα, πρῖνος, πύξος, μυρσίνη, κέδρος, ἰτέα, ἄρκευθος. *Arbores quæ ſemper virent, & quibus nunquam in hyeme decidunt folia ſunt 14. Palma, Citrium Strobilus, Laurus, Olea, Cypreſſus, Siliqua, Picea. Ilex, Buxus, Myrtus, Cedrus, Salix & Iuniperus.* Sed quod his illuſtrius eſt B. Chriſ. id docet or. 26. in Gen p. 200. ἀλλ᾽ ἴσως αὖ τις εἴποι καὶ πόθεν εὕρετο φύλλον τῆς ἐλαίας;

τὸ μὲν πᾶν ἐγένετο τῆς τοῦ θεοῦ οἰκονομίας, καὶ τὸ εὑρεθῆναι, καὶ τὸ τὴν περιστερὰν λαβοῦσαν ἐπὶ τοῦ στόματος ἐπανελθεῖν πάλιν πρὸς τὸν δίκαιον. ἄλλως δὲ καὶ τὸ δένδρον ἀειθαλές ἐστι, καὶ εἰκὸς τῶν ὑδάτων ὑπονοστησάντων ἔτι τὸ δένδρον τὴν τῶν φύλλον ἔχειν κόμην. *Forſan dicet quiſpiam, vbi inuenit folium oleagineum? Illud omne ex Dei diſpenſatione fiebat, & reperiri & columbam roſtro colligentem redire iterum ad iuſtum* Noë, *ſiue arbor eſt nunquam marceſcens atque conſentaneum eſt, recedentibus aquis arborem adhuc foliorum comis decoratam fuiſſe.* Mirum ſanè mihi videtur patres omnes hac in re vnanimi conſenſu conuenire, & quaſi in hanc ſententiam coniuratos conſentire, vnumque homuncionem contra tot luculentiſſimos teſtes in tam putidam abijſſe ſententiam.

Quod addit arcam non fuiſſe primam nauium, veriſſimum eſt ſi intelligatur artem nauticam longè poſtea adinuentam fuiſſe, non enim nauem fuiſſe, & velorum ope aquas ſulcaſſe contendimus. Primi enim nauium ductores à Poëtis dicuntur, Tyrij Tibull. lib. 1. eleg. 7. *Prima ratem ventis credere docta Tyros* ſiue vt Seneca in Medea habet Græci, nauemque Argo primam fuiſſe cenſet in Medea, primumque Nauarchum Typhin extitiſſe.

Quæque domitorem freti
Typhin nouam frænare docuiſti ratem.

Et adhuc.

Auſus Typhis pandere vaſto

Carbaſa ponto, legeſque nouas
Scribere ventis.

Vereor tamen ne nobis obtrudere velit Henrici Macliuienſis Albumaſaris interpretis ſomnia, qui nauem in cœlo adinuenit, ad quam Noë arcam ſuam conſtruxit. Quod Petrus Alliacenſis quaſi diuinum inuentum maximè admiratus eſt, vt refert Ioan. Picus Mirandulanus lib. 2. in Aſtr. c. 5.

Mitto hic quæ plurimis poſſem exponere SS. Patrum dicta in hanc ſententiam, qui orbē vniuerſum hoc in loco omnes interpretantur, vnde Epiphanius lib. 1. hær. 39. Sethianorum, ἐντεῦθεν λοιπὸν τοῦ κατακλυσμοῦ ἀφάνη τὸ πᾶν τῆς στάσεως τῶν ἀνθρώπων ἀπολέσαντος. *Cæterum*, inquit, *vbi diluuium omne omnino hominum genus abſumpſit*, & alij item omnes, quos ſi vellem hic congerere in immenſum excreſceret moles operis, propoſitarumque animaduerſionum limites prætergrederetur,

CAPVT VIII.

Moſis authoritas & antiquitas commendantur, genuinumque ipſius fœtum eſſe Pentateuchum oſtenditur.

QVOD euenire vt plurimum ijs ſolet qui ſemel verecundiæ fines tranſierunt, vt impunè ſint impudentes: idem ijs accidit qui

veritatis ſemel limites prætergrediuntur, vt immodicè & intolerabiliter mentiantur. Non potuit ſane impudentiſſimus nebulo diuina Moſis volumina ſuis nęnijs & putidiſſimis nugis accommodare, cumque tantam lucem ſuſtinere non poſſet tenebrio, autographos ſtatim legis libros atque à Moſe conſcriptos negare impiè conatur. *Neſcio verò*, inquit, lib. 4. cap. 1. pag. 173. *quo authore ſatis idoneo compertum ſit Pentateuchum Moſis ipſius fuiſſe autographum, vulgo dicitur, ſed non omnibus probatur. Hæ cauſæ me mouent, quare libros quinque illos, non Moſis archetypos ſed exſcerptos & exſcriptos ab alio credam. In primis quod in illis legitur Moſes mortuus, qui enim potuit Moſes ſcribere poſt mortem? Ioſue aiunt addidiſſe mortem Moſis capiti vltimo Deuteronomij. Verum quis addidit mortem Ioſue ipſius capite vltimo libri illius qui Ioſue inſcribitur, quique à Ioſue ipſo conſcriptus vt Pentateuchus à Moſe reputatur?* Quam impium ſit quam princeps & inſolens facinus, quam temerarium ſenis παλίμπαιδος dogma, nemo eſt qui non videat niſi qui planè cęcus ſit aut in eo piſtrino educatus, ex quo nihil niſi Religioni peſtilentiſſimum, regnis & Reipublicæ Chriſtianæ magnoperè timendum ac periculoſum expectandum eſt. Sed quis adeo ſtupidus, vt per hæc latera alios vulnerari non ſubodoretur? Quiſquis enim Moſis authotitatem oppugnare nititur Chriſti Domini Euangelium, eodem ictu vulnerat, quique de Pentateuchi authore dubitat, de

Euangelio quoque dubitat, & Chriſto Domino impiè aduerſatur. Ea eſt enim legis Moſaïcæ & Euangelicæ concordia perpetuaque conſenſio, vt Moſaïca typus ſit & figura Euangelium verò res ipſa quæq; diuino correptus ſpiritu conſcripſit Moſes ac velut prædixit, eadem reipsâ in Euangelio continentur & à veritate ipſa Moſis nomine comprobantur, nec-non ſæpiuſculè laudantur: Etenim κατὰ θείαν ἐπίπνοιαν ἐν τῇ κοσμογονίᾳ φιλοσοφηθέντα τῷ μεγάλῳ Μωσῇ. *Quæ de mundi creatione magnus Moſes Philoſophicè diſeruit ex diuino afflatus ſpiritu edixit*, inquit, Gregor. Nyſs.

Innumeri quidem extiterunt hæretici qui Moſis libros ſugillare, aut in contrarios ſenſus detorquere auſi ſunt, ſed nullus adhuc extiterat perfrictæ adeo frontis, vt Moſen eorum authorem eſſe negare auſus fuerit; Nazaræi fateor apud Epiphanium lib. 1. hær. 18. ἔφασκον πεπλάσθαι τὰ βιβλία καὶ μηδὲν τούτων ὑπὸ τῶν πατέρων γεγενῆσθαι. *conficta eſſe Biblia dicebant, & nihil ſimile à maioribus factum fuiſſe.* Moſen tamen eorum authorem agnoſcebant vt & Manichæi apud Auguſtinum lib. de hær. qui Moſen Pentateuchi authorem fatebantur, quamquam à principe tenebrarum excogitatos delirarent.

Sed velim attendat hic lector, Catonem aut Socratem loqui forſan putabit, cum tamen eius verbis nihil ineptius inconcinniuſue eſſe poſſit. Quorſum enim Moſen aggredi? quid, ſi Moſes Pentateuchi auctor non eſt,

quid inde factum? Quid euincent verba illa lib. 4. cap. 1. pag. 171. *Solent omnes qui libris Moſaicis ſcrupuloſè addicti ſunt inuentiones ſcientiarum, artium & diſciplinarum & rerum omnium vel ad Adamum, vel ad Adami referre poſteros. Ratione illa tantum quia nullus homo prior Adamo legitur apud Moſen.* An iſta verba vt& alia quę in Moſen ore blaſphemo contorquet, Iudæis ſuis quos tantoperè extollit, plurimum grata ſint, vehementer dubito neque Iudæis in Moſis verba iurantibus talem cenſorem acceptiſſimum fore confido.

Sed vt nonnulla dicamus quę huius rei amplitudo ſibi ſuo iure poſtulat, diuinus legiſlator Moſes qui duce ſpiritu multa vaticinatus eſt, mortem quoque ſuam Prophetico ſpiritu conſcripſiſſe tradunt Hebręorum nonnulli.

Philo Iudæus lib.3. de vitâ Moſis ſub finem, ἤδη γὰρ ἀναλαμβανόμενος καὶ ἐπ' αὐτῆς βαλβῖδος ἑςὼς ἵνα τὸν εἰς οὐρανὸν δρόμον διανύῃ διιπτάμενος καταπνευσθεὶς καὶ ἐπιθειάσας, ζῶν ἔτι, τὰ ὡς ἐπὶ θανόντι ἑαυτῷ προφητεύει δεξίως, ὡς ἐτελέτησε μήπω τελευτήσας, ὡς ἐτάφη μηδένος παρόντος, δηλονότι χερσὶν οὐ θνηταῖς, ἀλλ' ἀθανάτοις δυνάμεσιν. *Cum enim ſuſcipiendus eſſet & velut ſtans in portâ, vt curſum conſummaturus in cœlum euolaret, diuino actus ſpiritu, viuens adhuc, accuratè prædixit quæ velut in ſuâ morte contigerunt, qui mortuus eſt nondum mortuus, qui terræ mandatus nemine adſtante non ſcilicet mortalium manibus ſed immortali virtute.*

Eò etiam proceſſere quidam vt ſeipſum ſepeliuiſſe dixerint, & in arctiſſimam ſpeluncam ingreſſum, animam ibi exhalaſſe, alijs etiam à Deo alijs ab Angelis id factum aſſeuerantibus. Sed vt vt ſit Pentateuchum genuinum eſſe Moſis fœtum & autographum aſſerimus, adeo tamen vt nonnulla à Ioſue aut ab Eſdra addita fuiſſe non grauatè conceſſerimus: & in eo præſertim loco cap. vlt. Deuteron. adiecta credimus ea quæ leguntur ab eo loco, *mortuuſque eſt ibi Moſes ſeruus Domini* verſ. 5. vſque ad finem libri Deuteronomij, vt & alia alibi in libris legis alijſque etiam veteris teſtamenti partibus.

Controuerſia tantũ eſt inter interpretes quinam Moſis libris quædam adiunxerit an Ioſue an verò Eſdras? cum enim ſub crudeliſſimo Antiochi dominatu libri ferè omnes Iudæorum combuſti ſint, quod maximam latè cladem intulit rei litterariæ apud Hebræos, id tamen impedimento non fuit, quominus codices legis plurimi ſeruati cladi ſuæ ſuperſtites fuerint. Summum hac in re ſtudium extollendum eſt Maccabæorum quorum diligentia factum eſt, vt ad poſteros hi codices fœliciter tranſducti & deportati ſint. Ijs autem libris addita fuiſſe nonnulla eruditi putant interpretes, alij quidem ab Eſdra qui velut reſtitutor eorundem creditur vt legere eſt apud S. Athanaſium in ſynopſi ſeu recenſione ſacrorum voluminum. ἱστορεῖται δὲ καὶ τοῦτο περὶ τοῦ Ἔσδρα, ὅτι ἀπολλυμένων τῶν βιβλίων ἐξ ἀμελείας

τῶν λαῶν, καὶ διὰ τὴν πολυχρόνιον αἰχμαλωσίαν, αὐτὸς Εσδρας φιλόκαλος ὢν καὶ εὐφυὴς καὶ ἀναγνώσεις ἐφύλαξε πάντα καθ' ἑαυτὸν, καὶ λοιπὸν προσήνεγκε, καὶ πᾶσιν ἐκδέδωκε καὶ οὕτω διασώζεται τὰ βιβλία. *Illud etiam de Eſdra refertur, cum populorum negligentia & diuturnâ captiuitate Biblia eſſent deperdita, ipſe Eſdras nobilis, honeſtarum artium ſtudio flagrans, & lectione, cuncta apud ſe ſeruauit, ac demum protulit omnibuſque copiam fecit, & ea ratione ab interitu vindicata ſunt Biblia.* Alij autem id præſtitiſſe Ioſue affirmant qui in Moſis locum ſuffectus prophetiæ dono claruit, alium verò à Prophetâ quidquam addere potuiſſe non exiſtimant. Noſtrum tamen non eſt inter eruditos hac de re iudicium interponere, nouatorem noſtrum confutare tantum inſtituimus.

Is igitur lib. 4. cap. 1. pag. 173. *legitur porrò Deuteronomij cap.* 1. Hæc ſunt verba quæ locutus eſt Moſes trans Iordanem. *Quæ ſi ſcripſiſſet Moſes repoſuiſſet* cis Iordanem *Non enim tranſiluerat Moſes Iordanem Imo neque illum vadauit vnquam. Dixit autem* trans Iordanem *qui Deuteronomium congeſſit.* Quantum nugarum! quarum

Οὐδ' ἂν νηῦς ἑκατόνζυγος ἄχθος ἄροιτο

Neque nauis centiremis pondus ferret.

Quis huic homini non ſuccenſeat qui ad ea ſtudia audet reſpicere & de ijs ſcribere, quibus neque vel mediocriter imbutus inſcitiam ſuam nobis omnino prodit. Solemne quippe eſt ijs qui ſcripturã interpretandam ſuſcipiunt,

aut loca quędā adducunt,ea diligenter expendere,tum ex primigeniæ linguæ fontibus,tum ex verſionibus plurimis ſi opus fuerit. Quod ſi præſtitiſſet fœlicius & ad litteræ ſenſum accommodatius interpretari potuiſſet. Sed qui ob imperitiam linguarum id pręſtare non poterat, ſilentio inſcitiam tueri poterat aut ſaltem eruditos hac de re conſulere debuiſſet. In Hebræo habetur בעבר הירדן quod trans Iordanem vertit vulgatus codex, poteſt tamen verti cis, trans, è regione, ex aduerſo, quod ex Lexicographis omnibus notiſſimum eſt, עבר etiam in ea ſignificatione reperitur in ſcriptura multis in locis, vt Exodi 25. verſ. 34. ועשית את נרתיה שבעה והעלה את נרתיה והאיר על עבר פניה id eſt *& facies lucernas ſeptem & extolles eas lucernas vt luceant è regione ipſius.* Adſtipulatur Arabica verſio quæ Hebraicæ omnino conſonat, في عبر الأردن quod videre eſt in Biblijs Anglicanis Polyglottis pag. 713. vol. 1. & vt vno verbo abſoluam verſiones omnes id hunc modum hæc verba rediderunt.

Pergit eodem cap. pag. 174. *Laudatur quinetiam numerorum capite 21. paroëmia ſumpta ex libro, cui titulus erat* Bellorum Domini *verba numerorum hæc ſunt.* Vnde dicitur in libro Bellorum Domini. Sicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon. *Laudari autem non potuit à Moſe liber ille bellorum Domini, in quo facta fuiſſet mentio eorũ quæ in Arnon, &*

in ipſa arena à Moſe gerebantur. Quoniam oſcitanter & perfunctoriè tantum hæc legiſſe videtur, mirum non eſt ſi negotium illi faceſſant ea Moſis verba. Dictio autem ספר librum quidem ſignificat ſed volumen etiam & narrationem ſæpiſſime; Erant forſan carmina quædam & epinicia de victorijs quas reportauerant Hebræi, quinetiam verſus hoc in loco citantur. Addere etiam poſſumus iſtud Propheticè dictum יאמר *dicetur* hoc eſt in re ſimili Iſraëlitæ iſtud dicent cum à poſteris recenſebuntur bella quæ geſta ſunt in Iſraël in mari rubro & ad hoſce torrentes quod omnino euincit verſio Arab. p.639. Biblior. Anglic.

ولذلك يقال في كتاب ملاحم الله

Denique S. Auguſtinus lib. 1. quæſt. in Gen. occurrit his verbis. *Neque negandum eſt fuiſſe iam libros Chaldæorum vnde egreſſus eſt Abraham ſiue Ægyptiorum vbi didicerat Moſes omnem illorum ſapientiam ſiue cuiuſque gentis alterius.*

Eiuſdem ſunt ponderis, quæ allatrat de filio Manaſſe Iair cap. 3. Deuter. *Indicant verò*, inquit pag. 174. *longiſſime poſt Moſen ſcripta quæ leguntur Deuteronomij*, cap. 3. Iair filius Manaſſe poſſedit omnem regionem Argob. vocaturque ex nomine ſuo Baſan Hanoch Iair; ideſt villa Iair vſque in præſentem diem, *non dixiſſet Moſes* vſque in præſentem diem *ſi hæc ſcripſiſſet vix enim poſſidebat Iair ipſe vil-*

lam illã ſuam quo tempore introducitur Moſes hæc dicens. Sed ſi vel mediocriter ſcripturę mentem rimari doctus fuiſſet aut in hocce litteraturæ genere tantiſper verſatus eſſet facillimũ iſtud expertus fuiſſet per Iair enim non Iair ipſe ſed poſteri intelliguntur ideſt Iair ipſius nepotes ויאיר enim Hebr. habetur, quod etiam ex omnium ferè interpretum verbis conſtat.

Sed innumeras cruces figunt illi hæc verba cap. 3. Deuteronomij, *ſolus Og rex Baſan ſuperfuerat de ſtirpe Gygantum, monſtratur lectus eius ferreus qui eſt in Rabbath filiorum Ammon.* Mirum profectò quantum hæc ἄπεϱ. infœlicem criticum exercuerint, ait enim *quorſum inquam opus erat Iudeos alio mittere vt lectum Gygantis viderent, qui gygantem ipſum in terrâ ſuâ viderant, vicerant, & campis Baſan ipſis proſtratum, vulgo menſi erant?* Quibus nihil abſurdius fingi potuiſſe crediderim, non enim Moſes *Iudæos illic mittit* vt mentitur parens ille Præ-Adamitarum, ſed tantum res geſtas exponit & bella confecta feliciter recenſet, quid autem incommodi eſſe dicet ſi gygantis illius lectum ferreum ſeruaſſe Iudæos dicamus tanquam ſpolia de atrociſſimis hoſtibus reportata?

Audiatur iterum hypercriticus de Horræis quorum mentio fit Deuteronomij cap. 2. Is igitur pag. 195. ait *leguntur etiam hæc Deuteronomij* cap. 2. In Seir prius habitauerunt Horræi: quibus expulſis atque deletis habitauerunt filij Eſau: ſicut fecit Iſraël in terrâ poſſeſ-

ſionis quam dedit ei Dominus. *Atqui certum eſt neque Moſe authore neque Moſis ſæculo, expulſos & deletos fuiſſe Idumæos à Iudæis.* Quid his verbis facias ſi dicamus ea prophetice à Moſe prolata fuiſſe, huius enim loci ſenſus eſt Horræos prius Seir poſſediſſe quam filios Eſau, quod etiam diſertè notat verſio Arab. pag. 721. Biblior. Anglic.

واما في سيعير

فاقام الحوريون قبل بني عيساو

Vt vero relictis his nucibus ſua Moſi reſtituatur authoritas & contra imperiti homuncionis veſaniam defendatur, nullam ei certè maiorem aut luculentiorẽ tribuere poſſumus quam ſi eandem reddamus quam Chriſtus Dominus ſuis oraculis, & ſuorum Euangeliſtarum ſcripto & voce comprobauit, eam quippe ipſam legem quam præ manibus habemus Moſis nomine citat ſæpiſſimè, Iudæoſque ex eâ pluribus in locis conuincere minatur, Ioan. 5. 45. Chriſtus Dominus ait, *Nolite putare quia ego accuſaturus ſum vos apud Patrem: eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo ſperatis, ſi enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit: ſi autem illius litteris non creditis quomodo verbis meis credetis?* Lucæ 20. 29. *Magiſter Moyſes ſcripſit nobis ſi frater cuius mortuus fuerit habens vxorem, & hic ſine liberis fuerit, & accipiat eam frater eius vxo-*

rem, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. Anne rogo ea Sadducæorum verba ad Chriſtum Dominum alia ſunt à Moſe? Nonne eadem prorſus leguntur Deuteronomij 25.5. *Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri: ſed accipiet eam frater & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, &c.* Id enim Iudæorum legibus cautum erat, atque vbi frater non erat ad id affines adigebantur & cognati qui defuncti ſucceſſores erant, niſi familiæ herciſcundæ deeſſe vellent. Quæ Iudæus noſter ignorare non debuiſſet, ſi vel tantiſper in ſuorum Iudæorum libris verſatus, eorum ritus & leges annotaſſet. Quid autem ad hæc reſpondeat non video, niſi manſuetiores induens animos erroris & temeritatis veniam deprecetur. His addi poſſunt ea verba Lucæ vlt. 44. *Quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, & Prophetis & Pſalmis de me.* Et Ioan. 1. 45. Lucæ 16. 29. aliaque loca innumera, quibus Ioſephi teſtimonium adiungemus. lib. 1. contra Appionem pag. 919. *ἅτε μήτε τοῦ ὑπογράφειν αὐτεξουσίου πᾶσιν ὄντος, μήτε τινὸς ἐν τοῖς γραφομένοις ἐνούσης διαφωνίας, ἀλλὰ μόνον τῶν προφητῶν τὰ μὲν ἀνωτάτα καὶ παλαιότατα κατὰ τὴν ἐπίπνοιαν τὴν ἀπὸ τοῦ θεοῦ μαθόντων τὰ δὲ καθ' ἑαυτοὺς ὡς ἐγένετο σαφῶς συγγραφόντων, οὐ μυριάδες βιβλίων εἰσὶ παρ' ἡμῖν ἀσυμφώνων καὶ μαχομένων· δύο δὲ μόνα πρὸς τοῖς εἴκοσι βιβλία τοῦ παντὸς ἔχοντα χρόνου τὴν ἀναγραφὴν, τὰ δικαίως πεπιστευμένα, καὶ τούτων πέντε μέν ἐστι μωυσέως ἃ*

τοὺς γινομένους περιέχει καὶ τὴν ἀπ' ἀνθρωπογονίας παράδοσιν μέχρι τῆς αὐτοῦ τελευτῆς· οὗτος ὁ χρόνος ἀπολείπει τρισχιλίων ὀλίγῳ ἐτῶν. Quæ quoniam ſcribere vnicuique liberum non erat, nullâque commotâ ſcriptorum diſcrepantia, ſed Prophetis tantum prima & antiquiſſima quæ à Deo didicerant dilucidè conſcribentibus, vt & quæ coram ipſis gerebantur, non enim apud nos myriades ſunt librorum pugnantium & diſſidentium. Duo tantum ſunt ſupra viginti libri omnem temporum ſeriem continentes quibus fides adhibetur, & eorum quidem quinque Moſis ſunt qui hiſtoriam hominum complectuntur & traditionem à mundi creatione ad mortem ipſius. Tempus iſtud paulò abeſt à tribus annorum millibus. Qui Ioſephi locus expendendus eſt, vt ab homine Iudæo patriæ antiquitatis defenſore acerrimo, atque ex ipſomet libro quem nobis voluerat obtrudere nouator noſter. Qui & erroris & σφαλμάτων vbique deprehenditur, qui & Moſis libros luxuriante ſtylo conſcriptos ait, quod falſum eſſe diſcet ex Philone Iudæo lib. de mundi creatione, vbi Philo loquens de legiſlatoribus qui fabulas vt plebeculæ aurem ſibi conciliarent, confingunt multaq; contra ius & rationem exagerant ſubdit, *μωσῆς δ' ἑκάτερον ὑπερβὰς τὸ μὲν ὡς ἄσκεπτον καὶ ἀταλαίπωρον, καὶ ἀφιλόσοφον, τὸ δ' ὡς κατεψευσμένον, καὶ μεστὸν γοητείας, παγκάλην καὶ σεμνοτάτην ἀρχὴν ἐποιήσατο τῶν νόμων, μήτ' εὐθὺς ἃ χρὴ πράττειν ἢ τοὐναντίον ὑπειπὼν, μήτε ἐπειδὴ προτυπῶσαι τὰς διανοίας τῶν χρησομένων τοῖς νόμοις*

ἀναγ-

ἀσχήμον τῶν μύθοις πλασάμενος, ἢ συναινέσας τοῖς ὑφ' ἑτέρων συντεθεῖσι. *Moſes verò vtrumque fugiens, alterum quod illiberale & ingenuo homine ac philoſopho indignum, alterum verò vt falſum & plenum arrogantiæ, initium pulcherrimum duxit legum, neque ſtatim quæ agenda eſſent aut fugienda proferens, neque quoniam eorum qui legibus vti debebant animos præparare neceſſe erat fabulas confingens, aut aliorum commentis præbens aſſenſum.* Quibus verbis Moſis grauitas & hiſtoriæ fides defenditur aduerſus nuperi ſcriptoris latratus, qua ratione eius authoritas à Ioſepho aſſeritur quibus vt potè Iudæis nihil magnificentius opponi potuiſſe exiſtimauimus.

Caput IX.

Artium & ſcientiarum quarundam initia ex ethnicis profaniſque ſcriptoribus diſquiruntur, atque è Patribus rei veritas aſſeritur.

Transeo nunc ad artium & ſcientiarum quarundam antiquitatem, in quibus magnum quoddam momentum ineſſe putat, nouator noſter ad ſtolidæ hypotheſis conſarcinationẽ, quod velut capitis ſuperioris appendix ſit & corollarium, mundum quippe ex antiquitate Aſtrologiæ, Theologiæ, & Magiæ Gentiliũ vetuſtiſſimũ fuiſſe contendit capitib.

§.9. 10.& 11. lib.3. Quod nobis hic diſpungendum atque varijs ex authoribus demonſtrandum haſce ſcientias initium habuiſſe diu poſt diluuium. Excurrendum nobis foret per authores omnes vt id probaremus, ſed quoniam inſtituti operis ratio id non patitur, paucis ea omnia attingemus & certis indubijſque authoribus, SS. potiſſimum patribus immorari ſtatuimus. Atque vt ab eâ ſcientiâ ordiamur quæ antiquius & remotius initium ſibi vendicare poſſet, hiſtoriarum ſcriptores, non adeò vetuſtos eſſe demonſtrabimus. Cum enim nullam niſi poſt diluuium verum geſtarum ſeriem habeamus, aut extitiſſe vnquam legamus, præter Moſen vnum, argumento id eſſe cenſemus tempus id omne incognitum fuiſſe & occultum. Vnde M. Varro Romanorum diſertiſſimus, veritatis æquiſſimus æſtimator, & accerrimus defenſor, quo nemo vnquam doctior neque apud Græcos neque apud Latinos fuit, inquit, Lactantius lib. 1. cap. 6. Cum omne mundi æuum (teſte Cenſorino) in tres partes diuideret, à diluuio exorſus eſt, quod enim præceſſerat tempus ἄδηλον & incertum appellabat.

Iuſtinus ex Trogo Pompeio originem rerum quarum origines deſcripſit, altiſſimè repetens à Nino ſumpſit exordium, quem diu poſt diluuium floruiſſe nemo diffitetur, quod alio loco dicemus.

Græcos ipſos apud quos magna ſcriptorum extitit copia res antè diluuiũ geſtas ignoraſſe

ſidem facit perpetuum apud hiſtoricos hac de re ſilentium, qui alioqui nec verbis neque etiam mendacijs pepercerunt & in ſuos Annales quidquid antiquius putarunt, indiſcriminatim contulerunt, vt ſuprâ nationes cæteras antiquitatem ſuam, & admirabilem φιλολογίαν extollerent.

Beroſus Chaldæus ex Ioſepho lib. 1. contra App. pag. 925. hiſtoriam ſcripſit antiquiſſimam, à diluuio tamen initium duxit, & quæ hac de re conſcripſit à Moſe hauſiſſe certiſſimum eſt, vnde ex ipſiuſmet Ioſephi verbis Moſis hiſtoriâ nihil antiquius vnquam extitiſſe ſequitur. οὗτως τοίνυν ὁ Βηρωσὸς ταῖς ἀρχαιοτάταις ἐπακολουθῶν ἀναγραφαῖς περί τε τοῦ γενομένου κατακλυσμοῦ, καὶ τῆς ἐν αὐτῷ φθορᾶς ἀνθρώπων καθάπερ Μωυσῆς οὕτως ἱστόρηκεν. *Ipſe igitur Beroſus vetuſtiſſimas ſecutus hiſtorias de diluuio etiam, atque hominum in eo factâ amiſſione verba fecit vt à Moſe accepit.*

Euſebius lib. 9. de pręparat. Euangel. cap. 4. & lib. 10. cap. 3. ait Dionyſium Halicarnaſſeum affirmare res Argolicas quæ ab Inacho cœperunt eſſe antiquiſſimas, mortaliumque omnium vetuſtiſſimum prædicare Phoroneum. Verum hæc recentiora eſſe quam vt cum Moſis ſcriptis conferantur, inuitus etiam fatebitur hypercriticus. Inachus enim Phoroneus & Ogyges ſub quo in Attide diluuium contigit, quinque annis poſt Iſacum mórtuum, ij omnes inquam Iacob Patriarchæ σύγχρονοι & coætanei fuiſſe narrantur.

Ægyptij verò & Chaldæi vltra id tempus ſuæ gentis vetuſtatem extollere fruſtra conati ſunt, eò nempè liberius mentiri poſſe putarunt, quo credebant difficilius ſua redargui poſſe mendacia, Ægyptus enim portentorum parens & mendaciorum magiſtra ſemper audijt apud populos omnes.

Iudæos autem omnium gentium antiquiſſimos fuiſſe teſte omni hiſtoriâ putamus. Id imprimis aſſerit Porphyrius lib. 4. contra Chriſtianos, ex hiſtorijs & ſucceſſionibus regum Phœniciorum eoſque diu ante Troiana tempora floruiſſe. Neque ſanè quidquam antiquius habere ſe putabant Græci quã bellum Troianum ſi quid enim eſſet apud ipſos vetuſtius id omne dubium erat & incertum. Quin etiam ſcriptores prophano quidquid antiquius habuerunt à Moſe hauſiſſe certiſſimum eſt, plurimaque etiam vocabula ipſius, vſurpaſſe, atque in ſuam linguam tranſtuliſſe Heſiodo enim ἔρεβος ex Hebræo dimanaſſe videtur ערב: nox quæ Sanchoniatoni βάαν dicitur à בהו ventus κολπία ab Hebr. קל־פי־יה dictus videtur; cuiuſmodi plurima videre eſt apud Hugonem Grotium de veritate Religionis Chriſtianę. Quod ad litteras ſpectat Iudęos earũ vſum diu antè cæteras nationes habuiſſe ſtatur Eupolemus in libro de regibus Iudææ apud Clementem Alexandr. ſtrom. 1. τὸν μωσῆ πρῶτον σοφὸν γενέσθαι καὶ γραμματικὴν πρῶτον τοῖς ἰουδαίοις παραδοῦναι καὶ παρ' ἰουδαίων φοίνικας παραλαβεῖν, ἕλληνας δὲ παρὰ φοινίκων. *Moſen primum*

ſapientem extitiſſe & litteras primum Iudæis tradidiſſe Phœniceſque à Iudæis accepiſſe, atque à Phœnicibus Græcos. Quod nimirum Cadmi beneficio factum cenſet Callimachus.

Καδμὸς ἀφ' οὗ γραπτὰς ἑλλὰς ἔχει σελίδας

Cadmus à quo ſcriptas Græcia habet tabulas.

Græcis ſe ſe plurimum tamen extollentibus, Homero nihil fuiſſe antiquius affirmat Ioſephus lib. I. contra Appionem pag. 917. ὅπου γε καὶ περὶ τῶν ἐπὶ Τροίαν τοσούτοις ἔτεσι στρατευσάντων ὕστερον, πολλὴ γέγονεν ἀπορία τε καὶ ζήτησις εἰ γράμμασιν ἐχρῶντο· τἀληθὲς ἐπικρατεῖ μᾶλλον περὶ τοῦ τὴν νῦν οὖσαν τῶν γραμμάτων χρῆσιν ἐκείνους ἀγνοεῖν· ὅλως δὲ παρὰ τοῖς ἕλλησιν οὐδὲν ὁμολογούμενον εὑρίσκεται γράμμα τῆς ὁμήρου ποιήσεως πρεσβύτερον. *vnde & de ijs qui per tot annos Troianæ expeditioni adfuerunt controuerſia ſuborta eſt, vtrum litterarũ vſum habuerint, verior eſt ſententia vſum quem nunc habent litterarum tunc ignoraſſe. In confeſſo autem omnino eſt apud ipſos nullam eſſe ſcripturam Homericâ Poëſi vetuſtiorem.* Si enim quippiam eſſet antiquius quidni in tantâ ſcriptorum copiâ ipſius mentionem facerent, & vt ait Lucretius lib. 5.

Cur ſupra bellum Thebanum & funera Troiæ
Non alias alij quoque res cecinere Poëtæ
Quæ tot facta virum toties cecidere; nec vſquam
Æternis famæ monimentis inſita florent.

Quod vniuerſim ad artes cæteras & ſcientias pertinet, earum inuentores, neque adeo antiqui enarrantur à Patribus. Inter quos

Tatianus Aſſyrius eruditâ oratione contra Græcos in quâ probat artes omnes & ſcientias à barbaris inuentas Græcoſque nullas adinueniſſe ſed ab eis mutuatos eſſe, ait τελμισσέων μὲν γὰρ οἱ δοκιμώτατοι, τὴν δι' ὀνείρων ἐξεῦρον μαντικήν. Κᾶρες τὴν διὰ τῶν ἄστρων πρόγνωσιν· πτήσεις ὀρνίθων φρύγες καὶ ἰσαύρων οἱ παλαιότατοι, Κύπριοι θυτικὴν, ἀστρονομεῖν βαβιλώνιοι, μαγεύειν πέρσαι, γεωμετρεῖν αἰγύπτιοι, τὴν διὰ γραμμάτων παιδείαν φοίνικες, ὅθεν παύσασθε τὰς μιμήσεις εὑρήσεις ἀποκαλοῦντες· ποίησιν μὲν ἀσκεῖν καὶ ᾄδειν ὀρφεὺς ὑμᾶς ἐδίδαξεν, ὃ δὲ αὐτὸς καὶ μυεῖσθαι. τυσκανοὶ. πλάττειν, ἱστορίας συντάττειν αἱ παρ' αἰγυπτίοις τῶν χρόνων ἀναγραφαί· μαρσύου, δὲ καὶ ὀλύμπου, τὴν αὐλητικὴν ἀπηνέγκατε, φρύγες δὲ ἀμφότεροι· τὴν διὰ σύριγγος ἁρμονίαν ἀγροικοὶ συνεστήσαντο, τυρρηνοὶ σάλπιγγα, χαλκεύειν κύκλωπες, καὶ ἐπιστολὰς συντάσσειν, ἡ περσῶν τοτε ἡγησαμένη γυνὴ καθάπερ φησὶν ἑλλανικὸς, ἄτοσσα δὲ ὄνομα αὐτῇ ἦν. *Telmiſſeorum enim ſpectatiſsimi vaticinationem quæ fit per inſomnia adinuenerunt: Carienſes prædictiones ex aſtris, Phryges & antiquiſſimi Iſauri auium volatus, Cyprij ſacrificandi artem, Babylonij Aſtronomiam, Perſæ magiam, Ægyptij Geometriam, Phœnices artem litterariam. Vnde ceſſate imitationes appellare inuentiones. Poëticam exercere & Muſicam vos docuit Orpheus vt & initiandi artem, Thuſci figlinam, hiſtorias conſcribere, temporum apud Ægyptios coordinationes, fidicinam verò à Marſya & Olympo accepiſtis, vterque autem Phrygius erat, Ruſtici Tibiarum harmoniam compoſuerunt, & Tyrrheni tubarum,*

Cyclopes æs tractare, ac epiſtolas ſcribere fœmina quæ tunc Perſis præerat cui nomen erat Atoſſa.

Idem ferè cenſet Theodor. lib. 1. de curatione Græc. affect. p. 497. edit. quam adornauit. μακαρείτης Sirmondus γεωμετρίαν μὲν γὰρ καὶ ἀστρονομίαν αἰγυπτίους πρώτους εὑρηκέναι φασίν· ἀστρολογίαν χαλδαίων εὕρημα λέγεται· ἄραβες δὲ καὶ φρύγες οἰωνοσκοπικὴν ἐπενόησαν πρῶτοι, ὅτι δὲ καὶ ἡ σάλπιγξ τοῤῥηνῶν ἐστὶν ἔργον, καὶ αὐλοὶ φρυγῶν διδάσκουσι μὲν αἱ τραγῳδίαι, διδάσκουσι δὲ μετὰ τούτων αἱ ἱστορίαι. Καὶ τὰ γράμματα δὲ φοίνικας εὑρηκέναι λογοποιοῦσιν οἱ ἕλληνες, καὶ τὸν Κάδμον ταῦτα πρῶτον εἰς τὴν ἑλλάδα κομίσαι, ἰατρικῆς δὲ ἄρξαι τὸν ἄπιν φασὶ τὸν αἰγύπτιον, εἶτα τὸν ἀσκληπιὸν αὐξῆσαι τὴν τέχνην, σκάφος δὲ πρῶτον ἐν λιβύῃ ναυπηγηθῆναι λέγουσιν. *Geometriam & Aſtronomiam Ægyptios primum adinueniſſe ferunt, Aſtrologiam verò & Genethlialogiam Chaldæorum inuentum eſſe dicunt, Arabes & Phryges auguria primi obſeruarunt, quod verò Tyrrhenorum opus ſit tuba, & Phrygum tibia docent Tragœdiæ, & cum ipſis hiſtoriæ. Græci aiunt Phœnices litteras adinueniſſe ipſaſque primum in Græciam adportaſſe Cadmum, Medicinæ authorem faciunt Apin Ægyptium atque poſtea Æſculapium artem auxiſſe, nauem in Libya primum fabricatam eſſe dicunt.*

Ioſephus lib. contra Appion. pag. 916. τὰ μὲν γὰρ παρὰ τοῖς ἕλλησιν ἅπαντα νέα καὶ χθὲς καὶ πρώην ὡς ἂν εἴποι τις εὕροι γεγονότα· λέγω δὲ τὰς κτίσεις τῶν πόλεων, καὶ τὰ περὶ τὰς ἐπινοίας τῶν τεχνῶν, καὶ τὰ περὶ τὰς τῶν νόμων ἀναγραφάς· πάντων δὲ νεωτάτη σχεδόν ἐστι παρ᾽ αὐτοῖς ἡ περὶ τοῦ

συγγράφειν τὰς ἱστορίας ἐπιμέλεια. Omnia verò apud Græcos noua ab heri & nudiuſtertius vt ita dicam reperta vrbium conſtitutiones dico, & artium inuentiones, & legum ſanctiones omnium autem recentiſſimum eſt ipſis, hiſtoriarum conſcribendarum diligentia.

His omnibus conſonat Clemens Alexandrinus ſtrom. 1. plurimaſque artes alias & ſcientias enumerat quarum non adeo vetuſta ſunt initia. Sed quoniam prolixior locus eſt quam vt commodè hic apponatur, eum tantum indicare conſtituimus. Scientias verò omnes à Moſe initium habuiſſe ſatis puto demonſtrauimus profanoſque nihil in vetuſtiori hiſtoriâ rerumque geſtarum ordinatione aliud ſcripſiſſe quam quæ à Moſe hauſerant, à quo etiam vt docuimus vocabula nonnulla mutuati ſunt. Sed non ingratum erit audire hac de re criticum cap. vlt. lib. 3. p. 68. *Reputemus tandem ſedulo*, inquit, *quod erat inſtituti noſtri oſtendere, vtrum Chaldæi & Ægyptij diſciplinas & artes illas omnes potuerint conſequi intra illud tempus quod numeratur ab Adamo, vſque vel ad Abrahamum Chaldæum vel ad Moſen Ægyptium. Certè ſi res hæc bona fide peragitur, nemo erit qui non cenſeat tempus illud anguſtiſſimum, vel ad minimarum & triuialium artium deprehendenda experimenta: ne dicam ſcientiarum altiſſimarum qualia fuere Aſtronomiæ Aſtrologiæ & Magiæ curioſa obſeruata expendenda & demonſtranda.*

Erroris & falſitatis eos forſan inſimulare vellet

vellet qui artes & ſcientias à primis hominibus Noachi poſteris tam acri ſtudio & tanta diligentia excultas dicerent vt ad ſummam perfectionem peruenire potuerint, antequam ad alias nationes è Iudæis deportarentur. Certiſſimum tamen eſt ex omnibus cuiuſlibet gentis ſcriptoribus artes & ſcientias ab illa perfectione decidiſſe in qua olim conſtitutæ apud nationes nonnullas floruerunt. Teſtis erit artium nobiliſſima pictura quæ magno in honore ſummoque extitit in pretio apud veteres, quamq; ad perfectionem proximè acceſſiſſe legimus, eam tamen apud Ægyptios finem pene feciſſe plurimi teſtantur. Non alium exitum alias artes habuiſſe aut mitiori fato vſas fuiſſe putamus vt & ſcientias etiam nobiliores. Non etiam multum temporis requiri ad adipiſcendas ſcientias inficiamur, ſi ratio præſertim habeatur ſcriptoris nuperi quem annis plenum omni tamen eruditione vacuum ex eius verbis conijcimus quique in toto anteactæ vitæ ſpatio tam ieiunam, tam mediocrem, & ſterilem rerum notiſſimarum cognitionem ſibi conquiſiuit, vt in aliorum ſcripta inuolare neceſſe fuerit. Quid enim capitib. 8. 9. 10. & 11. adduxit quod ex Salmaſio non deſcripſerit, neque enim ſuos Præ-Adamitas ſtare poſſe putauit niſi ex annis Climactericis Salmaſij ampliſſimas paginas impleret. Quibus tamen licet furtiuo ornatu adeo glorietur vt lectoribus fucum facere poſſe ſibi polliceatur.

Niſi verò amuſo hoc homine defæcatiora olim extitiſſe ingenia nobis concedatur homineſq; ſtrenuos & mirâ præditos eruditione qui artium & ſcientiarum perficiendarum cuſuſceperint, Phœnicum aut Chaldæroum myriadas licet infinitas breuiores fuiſſe ad mediocrem etiam rerum præſtantiſſimarum cognitionem aſſequendam concedendum eſt. Quorſum autem tam curiosè Genethliacam eiuſque partes rimatur, & nihil præter horoſcopum, chronocratoras, aphetas, climacteres crepat? niſi vt inſaniam magis ac magis prodat, aut ſi clementius quidpiam auguramur rerum vacuus verba plenis buccis profundit. Nam vt ait Symmachus lib. 1. Epiſt. 76. *Natura rerum eſt, vt qui balbutiunt, plus loquantur, affectant enim copiam pudore defectus.* Sed hæc mittamus hominemque in Iudiciariâ defixum relinquamus vt imperiorum & regnorum quorundam ac vrbium antiquitatem expendamus.

CAPVT X.

Imperiorum quorundam antiquitas diſcutitur, hominum progagatio poſt diluuium oſtenditur, nonnullorum fictitia vetuſtas reijcitur.

IN omnibus profanorum libris & hiſtorijs, totâque ethnicorum annalium ſerie, nihil

illuſtrius antiquiuſuè Aſſyriorum imperio fuiſſe legimus. Quos nonnullos grauiſſimos etiam ſcriptores adeò commouit vt facilè animum induxerint diu antè diluuium extitiſſe tam nobile iſtud imperium, rebus in eo præclarè geſtis celeberrimum & apud omnes nationes magno habitum in pretio. Quod abſque vllo iudicio feciſſe videtur Scaliger multis in locis qui Aſſyriorum vt & Ægyptiorum regna vltra diluuium videtur protendere.

Mirum equidem videretur homini parum attento quî fieri potuerit vt in tam anguſto temporum interuallo tantoperè propagatum fuerit genus humanum, vt florentiſſimo non modo Aſſyriorum regno ſufficere potuerit, ſed etiam Sicyoniorum imperio & Ægyptum dynaſtijs quarum origines corrupit nimia fabularum licentia, & quæ in immenſum ſupra ipſummet diluuium à quibuſdam productæ ſunt. Incredibile idem omnino videretur res à Nino ſtrenue geſtas conſideranti & ſubactam Aſiam, perdomitas latè regiones alias quamplurimas, deuictoſque infinitos propè orientalis plagæ populos perpendenti, ſi eundem etiam Ninum Bactrianos copijs infinitis aggreſſum poſtremò conſideremus, in quibus teſte Diodoro Siculo peditum erant 170000. decies ſepties centena millia; equitum ducenta & decem millia 210000. curruum falcatorum centum millia & ſexcentos 100600. Quæ omnia fabuloſæ magis narrationi quam hiſtoricæ veritati ſimiliora ſunt, & à

Græcis ſine vllo diſcrimine in faſtum aliarumque nationum contemptum adducta creduntur.

Vt autem hominum propagationem poſt diluuium ex familiâ Noë demonſtremus & imperiorum vt & bellorum initia cum ſcripturâ concilienus, poſt viros eruditiſſimos quibus aſſentimur, expendendum eſt quâ poterimus breuitate quo pacto ſcripturæ veritas defendi ſuaque vindicari poſſit authoritas. Cum enim iſtud non parum cruciet Præ-Adamitarum parentem eius imperitis ſciſcitationibus & addubitationibus ſatisfacere conabimur, vt tandem aliquando inſanire deſinat, ſcripturæque veritatem vel inuitus agnoſcat. Ait enim lib. 4. cap. 9. pag. 212. *Poſſibile ne factu vel creditu erit; tantam ſuppetiyſſe hominum copiam intra quintam generationem filiorum Noë (quintus enim numeratur Phaleg à Sem generis ſui authore) vt & Sinam & Americam & Terram Auſtralem & Groenlandiam, & quidquid inter illas vndequaque interiacet diuidere & habitare potuerint?* & pag. 215. *Quomodo ergo fieri potuit vt intra annos trecentos nobiliſſimum ſub Ninó Aſſyriorum imperium ſtatutum fuerit & ſtabilitum per quadraginta tres annos.*

Ne tam illuſtri ſcripturæ veritati dubium vllum tribuatur, nos hic explicabimus qua ratione fieri potuerit vt tam exiguo tempore adeò, propagatum fuerit & amplificatum genus humanum. Quod nos ſingulari Dei prouidentia factum putamus, ad incrementa

humanæ ſtirpis vaſtitatemque à diluuio illatam reſtaurandam, miram quippe in ijs hominibus fuiſſe fœcunditatem credibile eſt, quæ iuſtam cæteroquin ætatem potuit anteuertere, adeo vt in pueris etiam vim generandi probabile fuiſſe grauiſſimi Authores exiſtiment, & quod notandum eſt diligenter multas ſingulis vxores fuiſſe adiunctas certiſſimum eſt, quo plures liberi eodem tempore poſſent exiſtere. Quam in rem vſurpabimus partem diagrammatis quod ſtupendæ vir eruditionis D. Petauius concinnauit lib. 9. de doctrinâ temp. cap. 14. tom. 2. idque in ipſiuſmet hypotheſi aſſumimus, quod nobis vltrò concedi intelligimus.

Anno nimirũ ætatis decimo ſeptimo primo illos homines poſt diluuium liberos ſuſcepiſſe putamus. Cũ verò tres filios Sem, Cham, & Iaphet Noe habuerit, vnumquemq; illorũ octo poſtea alios octo & ſic deinceps octo ſingulos genuiſſe cõtendimus, eaq; ratione adeo propagatũ fuiſſe genus humanum vt orbi incolendo & regnis imperijſq; implendis ſufficeret. Neq; hac in re vim vllã ſacris Codicibus inferre videbimur ſi Iapheto octauo anno à diluuio liberos octo tribuamus qui orbẽ adeo breui adimpleuerunt ad ann. 238. vt infinitos propemodũ homines in ſuis familijs numerauerint ſi enim ad annum diluuij continua ſerie 23. an. addantur Numeruſque liberorum in octo ducatur numeruſque tandem ad vnum redigatur infinitus fere euadet in vnâ dumtaxat ſtirpe.

DIAGRAMMA propagat. hominum.	
An. a dilu.	Iapheti liberi.
8	8
31	64
54	512
77	4096
100	32768
123	262144
146	2097152
169	16777216
192	134217728
215	1065741824
238	8525934592
Summa	9747066104.

Licet verò à nonnullis aſſeratur homines tunc tẽporis prolem ſuſcepiſſe an. ætatis ſuæ 13. nos ad 17. annum reijcimus quod olim affirmauit omniſcius Petauius, Nemo verò iſtud inficiabitur, cum antè diluuium Lamech è duabus vxoribus ſeptuaginta ſeptem filios tuliſſe legamus. Atque ne abſque Authore vllo idoneo id aſſeramus B. Auguſtinum huic ſententiæ adſtipulantem adducimus lib. 5. de ciuit. Dei cap. octauo, vbi Caini familiã ampliſſimã fuiſſe probat ex infinitis hominibus qui in Abrahami familia recenſiti ſunt antequam Ægyptum deſereret. *Quis itaque*, inquit, *dubitauerit per vnius hominis ætatem tantum multiplicari potuiſſe genus humanum, vt eſſet vnde conſtitueretur, non vna, ſed plurimæ ciuitates? Quod ex hoc conijci facillimè poteſt quia ex vno Abraham non multò amplius quadringentis annis*

numeroſitas Hebrææ gentis tanta procreata eſt, vt in exitu eiuſdem populi ex Ægypto ſexcenta millia hominum fuiſſe referantur bellicæ iuuentutis vt omittamus gentem Idumæorum, non pertinentem ad populum Iſraël quam genuit frater eius Eſau nepos Abrahæ, & alias gentes natas ex ſemine ipſius Abrahæ non per Saram coniugem creatas. Incredibile iſtud fortè opinabitur computator ridiculus, neque in tantum numerum excreuiſſe hanc familiam fatebitur vt Abraham ex Sara genitis liberis ſexcenta hominum millia bellicæ iuuentutis habuerit, prætermiſſis propè innumeris ex Iſmaele prognatis.

Quod ad Sinam Americam, & Groenlandiam quam tædioſus nugator nobis occinit, ſpectat, quo pacto incolæ in haſce regiones delati ſint docuere benè multi recentioreſque ſcriptores quos potuit conſulere, nos actum non agimus, ſed Aſſyriorum regnum ex mente Chronologorum maiorum gentium quorum ſententiam & rationes ſequimur κατ' πόδας ſumpſiſſe exordium contendimus anno circiter 153. à diluuio, Iulianæ periodi 2529. hoc eſt mundi 1809. Primus imperauit Belus ſiue Nemrod vt appellatur in ſcripturâ, annis regnauit 55. eique mortuo ſucceſſit Ninus anno à diluuio 208. ac annis regnauit 42. deſijtque anno à diluuio 249. Bellum autem quod cum Bactrianis geſſit Ninus ſub vltima ipſius tempora contigiſſe certum eſt nempè circa annum à diluuio 239. Anno etiam ab ipſomet diluuio

Nini trigeſimo, ſi nepotibus maiores ſuperſuiſſe intelligantur in vnâ Iapheti familia homines erant 9747066104. vt ex ſuperiori diagrammate apparet, miſſis ijs qui in Chami & Semi ſtirpe mirâ fœcundidate editi fuerant, & ampliſſimas orbis partes quaquauerſum incolebant.

Ad id tempus ſiue ad an. mundi 1803. vel circiter referenda ſunt Arabum & Ægyptiorum regna, neque multo poſt Sicyoniorum primordia. Quidquid verò de Ægyptiorum dynaſtijs fertur partim falſum partim à Græculis quibuſdam introductum, plurima enim narrantur fabulosâ licentia cõflata quid enim non *Græcia mendax*

Audet in hiſtoria?

Vnde meritò Iuſtini ex Trogo authoritas de antiquiſſimis Vexoris Regis Ægypti temporibus eleuatur. Atque vt ad Aſſyriorum regum hiſtoriam redeamus; Imperium iſtud deſijt in Sardanapalo centũ circiter annis antè olympiadem primam ſiue mundi 3074. Hunc propudioſum hominem luxu & ſocordia perditiſſimum atque à ſexu degenerem tradunt ſcriptores prophani; quique à deſciſcente Arbace Medorum præfecto victus, Aſſyriorum regum ſeriem interuertit, imperiumque ſua deſidiâ & mollitie peſſumdedit. Proinde nulla regum Aſſyriorum habetur mentio in ſacrâ hiſtoria, rara admodum in prophanâ: Qui enim in libris regum memorantur reges Aſſyriorum non ex illa ſtirpe ſunt & veteri ſucceſſione

quæ

quæ in Sardanapalo deſijt, ſed ex altera quæ diu poſt extinctos exactoſve priores illos inſtaurata creditur anno mundi circiter 3214. Periodi Iul. 3944. hac de re ex Diodoro cautè legendus Euſebius.

Sed antequam haſce animaduerſiones abſoluamus quas breuitati ſtudentes quantum in nobis ſitum fuit contraximus. Nuperum ſcriptorem *neſcio quem* in ius vocare poſſemus tanquam præuaricatorem, qui vt eſt proiectæ temeritatis, ita & errorum innumerabilium fœcundus parens, inter quos illuſtris eſt error & mendum enorme in re alioquin facili & certâ in quâ fœdiſſimè prolapſus eſt. Ait enim lib. 4 cap. 9. pag. 217. *Celebratam quinetiam refert Scaliger olympiadem primam anno mundi* 3074. quod & legitur pag. 232. editionis poſtremæ, in quâ licet nonnulla immutauerit, hoc tamen in loco & alijs infinitis quidquam erraſſe ſe non animaduertit infœlix criticus. Quâ certè in re peſſime mereri videtur de Scaligero; omnium quippe fidem oculoſque hic appello neminem enim fore puto qui anachroniſmum hic ſubeſſe & quidem horrendum non conceſſerit, hominemque falſitatis certò non deprehendat, qui centum annorum ſpatium adeo oſcitanter ſubducit. Quis ei hæc dictauit? Licet enim Solino in hiſtoriâ præſertim alienâ fidem omnino derogemus, annotare tamen è re noſtra duximus errorem tam inſignem, & nemini ferendum quantumuis imperito. Prima quippe olym-

pias ſiue primus an. Iphiteus incidit in annum periodi Iulianæ 3938. igitur is annus erat mundi 3174. quod ex chronologis omnibus cõſtat & ex ipſamet doctinâ Scaligerianâ. Primus enim agon olympicus ex Euſebio inijt an. 408. poſt excidium Troianum: clades autem Troiana incidit in an. per. Iulianæ 3530. mundi 2800. antè æram Chriſtianam vulgarem 1184. licet hanc numerandi rationem parumper conturbent Arundeliana marmora. Certamen igitur πενταστεικὸν cadit in an. per. Iul. 3938. ante æram Chriſtianam 777. annis 23. antè vrbem conditam, Romæ enim conditus incidit in annum periodi Iul. 3961. mundi 3231. quo anno Palilia prima celebrata ſunt. Quæ quidem omnibus qui chronologiam hiſtoriamque temporum non dicam primis labris deguſtauerunt, ſed qui ſaltem è limine ſalutarunt notiſſima ſunt & indubitata. Quæcunque autem congerit Paradoxa Scaligeromaſtix, ea omnia ex authoribus dubiæ non modo fidei ſed proſtitutæ in mentiendo audaciæ fabuliſque & commentis abſque vllo diſcrimine coaceruandis exprompta ſunt.

Nos verò quidquid ei libuerit in eiuſmodi authoribus ineptire libenter concedimus modò ſacros non attingat codices, Diodorum Siculum interim conſulat, Herodotum, Solinũ, Pſellum cum quo Teucri Babylonij iacturam deflet, Iamblichum, Sinarum periodos & Groenlandorum veteres ritus excutiat quantum voluerit nunquam ſane labem recenti fa-

bulæ inuſtam eluere potuerit. Ne tamen ſuos amores Iulium Firmicum prætereamus hominem ſingulari impietate præditum, nos ei noſtram pollicemur operam ſi eius delirijs aſſentiatur, mundumque æternum fuiſſe neque certum tempus habuiſſe ortus ſui arbitretur. Ariete in cœli faſtigio conſtituto creatum orbem demonſtrabimus, hoc eſt verno tempore conditum, qua de re interim legat velim Virgilium lib. 2. Georg.

Non alios primâ naſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumue habuiſſe tenorem
Crediderim. Ver illud erat, Ver magnus agebat
Orbis, & hibernis paſcebant flatibus Euri
Cum primam lucem pecudes hauſcere, virumque
Ferrea progenies duris caput extulit aruis
Immiſſæque feræ ſyluis & ſydera cœlo.

Authores prorſus omnes quotquot παραδοξολογούμενα conſcripſerunt fidẽ apud ipſum inueniunt, & ſummam authoritatẽ conſequuntur. De periodis verò Sinarum & ſuorũ Groenlandorum idem ſentimus atque Affricanus apud Euſebium in chronico de Chaldæis & Phœnicibus τὰ γὰρ φοινίκων τρισμύρια ἔτη καὶ τὸν τῶν χαλδαίων μύθων λῆρον τὸν τῶν μυριάδων τί δεῖ λέγειν; *Quid enim oportet dicere tres annorum apud Phœnices myriades, & Chaldaicarum fabularum deliramenta?*

Quinetiam Porphyrius teſtatur referente Ioanne Pico Mirandul. lib. 2. contra Aſtro-

logos, Calliſthenem Ariſtotelis diſcipulum & nepotem, comitemque bellorum Alexandri magni, cum omnia Chaldæorum arcana diligenter Babylone excuſſiſſet, & curiosè ſcrutatus eſſet, reperiſſe rerum cœleſtium obſeruationes, quæ omnium erant vetuſtiſſimæ, non amplius quam nongentorum & mille annorum fuiſſe cum tamen quadraginta millia vel etiam 70000. mentirentur.

Hipparchus item & Ptolomeus Aſtronomiæ principes, vbi pro dogmatis adſtruendis, veterum obſeruationes afferunt, nullas vetuſtiores antiquioreſve afferunt ijs quæ ſub rege Nabuchodonoſor apud Ægyptios, Babyloniosue conſcriptæ ſunt, Hipparchus verò ſexcentos circiter annos poſt Nabuchodonoſor floruit nempe circa annum Periodi Iul. 4436. mundi 3706. prima autẽ obſeruatio ęquinoctij verni ab Hipparcho facta cadit in an. mundi 3822. vt tradit Ptolemæus, quod non videtur procedere neque etiam eclipſes Lunares quas idem Ptolemæus ex Hipparcho refert. Ex quibus certè omnibus euidentiſſimum eſt Græcos Ægyptios Chaldæos profanoſque vt ita dicam plurimos errare in antiquitatis & hiſtoriæ ſerie recenſenda, ſacriſque codicibus vt veris & omnium antiquiſſimis fidem omnem eſſe præbendam & authoritatem.

Egregium ſanè hominem quem ſua adeo excæcauit inſcitia vt tanquam viliſſimum gloriæ animal ad ſectæ iſtiuſmodi inſulſæ & adeo ridiculæ inſtaurationẽ inſolẽter adſpirare non

dubitauerit,in cuius adſtruendæ probationem nihil prętcr meros ſtupores & rerum vel mediocrium ſummam ignorationem attulit, & fabulam ea ratione authore digniſſimam reliquit. Neque ideo tantum ad ſcribendum animum appuliſſe videtur vt Præ-Adamitas induceret, ſed vt furore correptus & amentia in Eccleſiam Religionemque Chriſtianam debaccharetur. Quorſum enim toties intempeſtiuè adeo digreditur, reſque ſibi nullomodo conducentes infœliciter attingit? Eccleſiæ ſanè & eruditorum abutitur patientia, dum è ſuo cerebro ea expromit quæ nullis rationibus, nulloque idoneo teſte confirmantur, & Chriſtianos omnes talibus cōmentis ludificatur. Quibus omnibus refellendis grandes paginas implere potuiſſemus, ſi quid authoritatis habere poſſe putaſſemus, ſed ab ijs abſtinemus ne tam manifeſtis nugis pondus aliquod dare videamur. Chriſtiani ſumus, eoque nomine Deo præpotenti nos gratias debere immortales agnoſcimus vnique Eccleſiæ Romanæ natos nos eſſe obteſtamur cui pro noſtra in ipſam pietate hoc ſtudij & obſeruantiæ qualecunque ſit teſtimonium exhibemus.

FINIS.

95-6

EA656
L599a